IO. BAPTISTAE SCARSABVRSAE FOROIVLIENSIS,

DE FELICISSIMA ADVERSVS Turcas nauali Victoria ad Echinadas.

LIBRI TRES.



Venetiis, Apud Ioan. Baptist. Somaschum.

M D LXXIII.



ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. IOANNI GRIMANO PATRIARCHAE, & Principi Aquileiensi.

Ioannes Baptista Scarsabursa. S. D.



VM à teneris vsq; annis Grimane clarissime, dum nullas adhuc litteras, nulla humanitatis, aut liberalium artium elementa hausissem, tuis cohortationibus illectus ad litterarum studia me contulissem, persæpe cum de studiis aliquid aut animi gratia, aut ualetudinis impedimento remitterem, mecum ipse cogitabam quanam ratione, quo-ve scriptorum genere spem, quam de me concepisses primum, quamq. (ut aiebas,) concitassem ipse nonnullis saltem argumentis sustinerem. nec cogitanti ueniebat in mentem, qua re potissimum te adhortationum tuarum fortasse fructum aliquem expectantem oblectarem. itaq. aggressus (quod te non fugit) scribere aliquid, vbi primum per ætatem licuit scripsi oratiunculam, scripsi carmina: quos meos labores non ingratos fuisse tibi compertum habui; Musas tamen maiori quadam animi propensione complecti uidebare: quod cum ego sensissem, in amœnissimos illarum hortos diuerti, ut inde promerem

oblectamenta, quæ animus tuus cupere & à me iure quodam postulare posset. scripsi sæpius Calliope dictante, atque eò sæpius, quod eo te scriptorum genere mirifice delectari intelligebam. postea uero nescio quomodo affectus animus meus, quæ complexus fuerat, studia dimisit, & taciturnitatem, quam optimus quisq. respuendam pro uiribus esse duxit secutus est, non ut perpetuo in silentio esset, sed in perexiguo, si licuisset per valetudinem. quod quidem diutius ferre non potuit: erexit enim repente se tantæ rei nuncio, depressa præsertim Barbarie; & totius ingenii vires iam hebetes ocio acuisse se se visæ sunt, vt pro certo haberem diuturni silentii vsuram à me perexiguo tempore hac potissimum Fortunæ varietate, hac Barbarorum fuga, & nece, hac Christianorum victoria, hoc denique in omni memoria inaudito triumpho perceptum iri. scribendi tamen materiam perhorrebam difficilem scilicet, & arduam: tot noueram scriptores cuiusuis generis tam læto nuncio excitatos, à perpaucis tamen laborum præmium, idest gloriam, cuius studio ducimur omnes, perceptum. itaq. veritus sum diu, ne, nisi pro rei ipsius dignitate scripsissem impudentius ad hanc prouinciam accessisse viderer. animum tamen addidit tui studiosissimus, meique amantissimus Iacobus Maraccus, quem ego vnum plurimi (vt debeo) facere soleo. itaq. factum est, ne ab incæpto desisterem. vrgebat præterea tanta taciturnitas, vt suspectum iam negligentiæ nomen effugere vix possem. accessi igitur ad rem tantam his de causis animo confirmato, totamq. rerum seriem attentius sum perscrutatus; heroum denique tuorum facta, Christianorum gloriam, hostium fugam, & necem ea diligentia, qua potui

maxi-

maxima, complexus sum, ne quidquam à me desiderari pos set aut studii in scribendo, aut operæ maioris in rem totam, quæ potuisset sub oculorum sensum cadere, declarando: nec prætermisi, quod ne prætermittendum quidem fuit, quanto labore ocium, quantoque militum sudore ingentium pericu lorum liberationem adepti simus. sed cum maiorum tuorum annales legendo percurro, in eodem uirtutis genere præstan tissimum Marcum Grimanum fratrem tuum video, Pon tificiæ classis præfectum, propè littus Actiacum laboran tem; cuius fortitudinem animi, & constantem in periculis sapientiam admiror (nam rerum subitarum aspectu commo ueri plerunq. solemus, vt asserit apud Gellium Epictetus) cum tot hostium tela, cum imminentem penè capiti aut mor tem, aut seruitutem, si in hostium manus deuenisset, è sua, suorumq. ceruice incredibili celeritate depulerit: neq. enim fugit me, quod iam nouerunt omnes, qua virtute, & solertia in hostium portu, & faucibus quodammodo inclusus, cum nullus, nisi per hostes ipsos aditus ad salutem pateret, eruperit, quaue opera è manibus illorum sospes euolarit. in quem cum omnem oculorum, atq. ingenii aciem intendo, uideo plane, non tam hunc maiorum gloria fuisse dignum, quam maiorum gloriam huius rebus gestis, & præclarorum factorum memoria cumulatam. in quo Grimane clarissime etsi bellicæ rei scientiam, pacisq. ornamenta quamplurima esse admirati sumus, in te tamen uno uerum decus, ueramq. diuinarum rerum scientiam, quæ post se longe quoduis sapientiæ genus relinquit, quam perspicuam, quam præclaram cum summa omnium admiratione florere uidemus? quo an quidquam admirabilius uideri possit, equidem ignoro, hæc est. n. ratio quædam, qua ad cœlestia, Deumq. ipsum Opt. Max. pro

pius accedimus, hac speculamur præterita, totq. retro seculorum euenta cum nostrorum temporum rebus comparamus: per hanc nil frustra attentamus: ingenii metas, si quæ sunt, quas nusquam, aut ampliori quodam termino, aut nullo scimus circumscriptas, superamus, et quod Socratem quæsisse scripsit licet falsò Aristophanes Comicus, cœlestium scilicet astrorum cursus, menstruum Lunæ iter, cuius primam cognitionem Endymioni deferimus, uel solis defectum, in quo prædicendo Thaletem Milesium admirationi fuisse nemo ignorat: hæc nos uanarum rerum loco ponimus: illius. n. opera ad maiora contendimus, nullus illi aditus ad diuina interclusus; patent omnia, & quæ nos uel rerum maximarum mole, uel corporis grauitate oppressi animo minus percipere possumus, ea diuino quodam afflatu concitati ita speculamur, ut iis nihil dilucidius, aut facilius esse uideatur; quarum rerum scientiam primum omnium tradunt Orpheum ex Aegyptiis acceptam transtulisse in Græciam, & Orgia instituisse; atq. iis primum sacris initiatus creditur Aglaophænus. post hunc Pythagoras, cum rerum diuinarum, atq. humanarum seriem mente perlustrasset, Deum censuit esse animum quendam, ex quo animi nostri deriuarentur; atq. illum immensum, & infinitum: nec assecutus est ratione, necessariò Deum exagitari, cum cuilibet nostrum contigisset, ut miseri animo essemus. Pythagoram consecutus est Philolaus, Philolaum Plato, qui cum licet adumbratam quibusdam rerum inuolucris Dei scientiam assiduis meditationibus percepisset, putauit Deum mundi fabricatorem esse, & rectorem, qui cum Deum constituisset sempiternum, mundum quoq. arbitratus est fore sempiternum. a quo dissentiens Aristoteles rerum omnium ordinem peruertit; modo. n. diuinitatem mundo ipsi

modo

modo cuidam, quem mundo solet præficere, tribuit. inter quos magno cum Stoicorum grege emersit Zeno, & naturalem quandam legem insitam cuiusq. animis, ad quam à natura ipsa informati esse uideremur, iubentem recta, & contraria pro uiribus respuentem, Deum esse opinatus est: quæ tamen in diuinarum rerum immensitate retrusa penitus, atq. abdita sunt, nemo illorum elicere, nemo in lucem euocare potuit. sed duplicem constituit θεολογίαν *Plato, quarum alteram* συμβολικὴν, καὶ μυστικὴν *appellabat, alteram* φιλοσοφικὴν καὶ κατανοητικήν: *ut illam sacramentis tantùm implicitam esse, hanc in diuinarum rerum commentatione uersari arbitraretur: in quo illum secutus uidetur esse Aristoteles, qui primus* τὸν πρακτικὸν βίον, καὶ τὸν θεωρητικὸν *comperisse creditur. quod cum ita sit Clarissime Grimane, quid est, quod te omnem omnium fortunam superantem, illis etiam florentem studiis, quæ maximè diuina quæq. perscrutantur, non ea te omnes obseruantia, & beneuolentia prosequantur, quam maximam, ex optimi cuiusq. pectore clarissimi uiri probitas, & uirtus elicere possit? nam cum totam mentis aciem in ea intendere soleas, te animo peruagari, & quodammodo è corporis uinculis euolare certo scio, ita ut humanarum rerum sæpius obliuiscaris diuinis in hærendo, in quibus optima tibi quietis sedes, peroportunum ingenio diuerticulum, in quo excurrat, tanquam in campo, comparatum est. ardua certe, & perdifficilis ars est, quæ astrorum cursus aliorumq. siderum motus ratione metiri potest: quæ quamuis certis quibusdam interuallis, ac locis disponantur, tanta est tamen modo aeris crassitudo, qua præcipue hominum mentes debilitantur, tanta celeritas orbium cælestium, ut uix illam cogitatione nedum aspectu tam hebeti liceat assequi. nullis tu tamen harũ*

A 4 rerum

rerum impedimentis laboras euolat animus et ardua quæq́. ſpeculatur, non admiraris illa, quæ certo naturæ motu ſcruntur; de quibus aiebat Socrates, Quæ ſupra nos, nihil ad nos, cogitatione, & animo complecteris naturæ ipſius creatorem, qua facilitate cælum, terrasq́. fabricatus ſit, qua diligentia, quo ſtudio hoc totum opus, quod mundum uocamus expoliuerit: ſi quid horum in omnipotentis Dei mentem cadere poteſt, nutu n. ipſo omnia, cælum ſtellis cæterisq́. ſideribus, terram plantis, æquor piſcibus diſtinxit, ut quaſi ornamenta quædam cuiq́. ſiggillatim attributa eſſe uideantur. non te præterit, quot uatum oracula noſtram recentem, ſi in ueterum leges & inſtituta reſpicis, ſalutem multis antea ſeculis præcinuiſſent, tenes præterea, & optimè tenes, quo curſu ad ſuperos, quibus rebus geſtis ad immortalitatem optimo cuiq́. contendere liceat. quod cum ſcias, nō tecum tantum, ſed cum omnibus uis impartiri, cum iis præſertim, quos tuæ commiſſos fidei, & diligentiæ non hominum opera, ſed diuina quadam rerum ſerie cōplecteris, ſic n. Homerus ἐκ διὸς οἱ βασιλῆες: quod proxime uidimus, cū tuis ſcriptis, iisq́. clariſſimis omnes es ad uerum decus, & gloriam cohortatus ita, ut in dies omnium in te amor tuis in omnes ſtudiis augeatur, iisq́. potiſſimum rebus, ex quibus præcipuum beneuolentiæ genus elicere poſſumus, uirtute ſcilicet, et probitate, quorum alterum in morum ſuauitate, alterum in ſcriptis elucere uidemus. accipe igitur munus hoc quantumcunq. eſt, ſi in animum meum intendas, non ſanè contemnendum. in quo ſi quid profeciſſe uidebor, erit, quod ſummopere gaudeam; ſi minus, meam tamen ſummam tibi gratificandi uoluntatem ap ud omnes teſtatam relinquam. Vale.



ARMINA qui dudum tenui aspirante Camœna
Lusi; materies paruis quem uiribus impar
Tollere non potuit, Phœbi placida antra sequentem:
Idem ego nunc (sic fata iubent) horrenda marinis

BELLA Deis spectata cano, uictamq. Scytharum
Classem, quos toties spirantes Adria robur
Horruit, & rapidis tremuerunt littora flammis.
Tu precor ò tanti mihi nunc exordia belli
Musa refer; causasq. simul quo numine Diuum
Barbaries tantum ratibus processerit, aut cur
Ignes intulerit Cypro, Nicosia queis nunc
Fumat, & ipsa suas horret Famagusta ruinas.
Gens inculta olim Scythiam, finesq. propinquos
Incoluit; non certa domus, non arua, nec ulli
Vlla fuit propriæ sedes quæsita quieti.
Non dum regnandi peruaserat atra Cupido,
Tantum finitimos persæpe lacessere pugna
Iuuit, & insani tentare pericula Martis.
Constitit hos inter, qui, dum præludia belli
Crebescunt, opibus pollens, plebisq. fauore
Dux factus sensim patriis exire paratos
Finibus educit: cæptis Fortuna secundis

Aspirat,

Aspirat, crebrosque auget Bellona triumphos:
Vt speciem regni, regis sceptrumque daretur
Cernere tot bellis partum per uulnera, perque
Assiduos passim terraq. mariq. labores.
Iamq. Asiæ magnam partem, & uicina tenebant
Littora, Carpathii qua labitur æquoris unda:
Non tamen hic finis bellorum, nulla futuro
Imperio requies partis quæsita trophæis.
Sed Gotofredæis iacuit tum forte ruinis,
Vixq. caput tellure suum, uix Turca iacentes
Relliquias belli patrias deduxit ad oras.
Post tamen increuit uirtus, captisq. Cupido
Dira modum posuit nullum, non Græcia tuta;
Pannonia euicta crebra tum feruere cæde
Hellespontus, eo rubuerunt sanguine fluctus,
Aurea Phryx olim qua Ponto uellera duxit.
Concidit hic solio quin Constantinus auito;
Incensamq. urbem, lacerataq. corpora ferro
Christicolum ut uidit, nec spem superesse salutis
Vllam, se medios misit moriturus in hostes.
His regnis, portu Turcæ, uiq. urbe potiti.
Hinc Ottomanum uirtus regumq. trophæa
Emersere, suos quoniam protendere fines
Quemq. iuuat, latoq. armis dominarier orbi.
Mox Cyprum sceptro iunctam petiisse Selinus
Lætatur proprio: Veneti se iure daturos
Esse negant, animis sensim discordibus iræ
Subiiciunt stimulos, animosaq. pectora ferro
Armantur, medioq. tumet mox Adria ponto.

Hæc

Hæc primum belli, magnorum hæc causa malorum.
Iam Dux Austriacus, genitor cui Carolus, ipse
Quinctus auis melior, quem tot Germania bellis
Cæsarie obscænum laudato puluere uidit;
Aptarat classem patris uestigia natus
Clara sequuturus, fluctusq. secabat Iberos:
Cærulaq. æquatis uerrebant æquora remis
Hispani Italiam forsan melioribus ausis
Visuri, quàm cum ciuilia bella uigebant,
Galliaq. audaci porrexit milite dextram.
At Venus ipsa malo dudum commota recenti
Flebat, & amissi memorabat pristina regni
Sceptra sui, lachrymisq. sinus, roseæq. madebant
Malæ: uere nouo quales nituere per agros
Rore leui flores, rubræ stillasue superne
Excepere Rosæ, croceis cum Phœbus ab Indis
Exiit infusis pellucent gramina guttis.
Sic Cytherea sinum lacrymis malasq. rigabat
Immensumq. alto seruabat pectore uulnus.
Forte mare, & terras, uexataq. littora flammis
Despiciens toruo Mars lumine uiderat Halin,
Parthaum & effusis laxantes agmina habenis
Barbara, seu Venetos ausint penetrare penates;
Seu classe Adriacos infestos reddere portus.
Messanamq. uidet, siculum qua porrigit æquor
Brachia; compulsis hinc atq. hinc nauibus, ipsas
Vix portu excepisse rates, uix littore nautas
Militibus mistos; nec causam nouit; auetq.
Rem (quoniam præsit bello) cognoscere tantam.

Dumq.

Dumq. haeret subito Veneris puer astitit, atq.
Talibus affatur: quoniam subiecit amanti
Se tibi, quid matri prodest, si regna furenti
Turpe ob adulterium Vulcano incensa feruntur?
Quis tibi pro meritis animus? quo Turca Deorum
Numine maternas incendit perfidus arces?
Ergo quid cessas, quae sunt reparanda recusas
Vi saeuus reparare tua? uacuusne sub auras
Ocia sectaris? cur bella incepta relinquis
Bella tuis excita armis? illudere matrem
Sic libuit? proprio immo quid sit amare periclo
Disce, manu telum dicens quatiebat iniqua,
(Hoc insigne nitens aurata cuspide dextram
Armabat) stimulisq. oculi furialibus acti
Arsere in subitam coniectis ignibus iram.
Tum Mars orare, atq. haec se nescisse fateri,
Non Cyprum incensam, uastataue regna, sed ipso
Despiciens terras se auide quaesisse, quid esset
Tanta mari classis: dictisq. affatur amicis.
Quae quoniam norat, licet absens Iupiter alto
Concilium edicit solio, cogitq. Senatum.
Nec mora fit, raptim properant ad tecta Tonantis
Regia Caelicolae: haud aliter flat ut aura Fauoni
Soluunturq. niues, demissaq. flumina pontum
Prona petunt, raptasq. trahunt per murmura cautes.
Postquam omnes conuenere, & data copia fandi,
Quanquam aberat Venus una, tamen sic Iupiter infit,
Caesarium quassans rumpitq. silentia dictis.
Incensam nostis Cyprum, Venerisq. querelas

Immiſtas precibus, Superi, noſtisq. Selinus
Quid paret: Adriacos penitus peruadere portus
Audet; & Ionium tenet undique claſsibus æquor.
Quid ſi tot bellis feſſum ſubmitteret orbem
Imperio proprio (quod nunquam fata futurum
Permittunt) quid non auſurus? Pelion Oſſæ
Impoſitum ſuperis inferret bella priora.
Horreſco referens dum prælia priſca recordor,
Centimanumq. Gygen, rapidasq. in regna cohortes
Terrigenum noſtra: horum & uos meminiſſe poteſtis.
Ergo quid, Superi, faciendum? cernimus omnes
Tot cædes paſsim, tot ſæui incommoda belli;
Vrbibus admiſſa aſsiduo tormenta boatu
Et ſonitu aſtra ſuo, terrasque ciere: nec ullus
Eſt finis: Veneti dudum nec iure premuntur,
Et lacrymis, iuſto & gemitu Cytherea mouetur,
Et ſuperùm modo flens hunc, mæſta modo aſpicit illum
Si quemquam flectat, ſi quemquam laudis amore
Commoueat, quo ſeque Ducem, Martemq. ſequatur
Infremuere omnes; nec non ſubſellia longo
Murmure complentur, qualis cum uere nitente
Floribus exit Apis, ſed Rex prior agmina ducit.
Per campos, per prata ruunt, de hinc ordine cellas
Certatim ſubeunt, & rauco murmure complent.
Vis ea fatus erat ſuperum Rex, omnibus idem
Eſt animus Venetum immanes expellere terris
Thracas, uel ſumptis occurrere comminus armis.
Quæ dum pectoribus uoluunt; Venus ipſa cadentes
Vix cobibens lacrymas, uix & ſuſpiria; toto

Corde

Corde gemit solitas uix compos reddere uoces.
Denique non propriis, alienis uiribus usa
Ante Iouis solium Diuum spectante Senatu
Constitit, ut tanti laxaret claustra doloris:
Ter conata loqui, mediis ter faucibus hæsit
Vox atq. immenso curarum substitit æstu.
Qualis aqua è vitreo cum se se effundere cæpit
Carcere, & angusto luctatur tramite; quamuis
Tota exire optet, tenuis vix ostia gutta
Arcta subit, porta tenuisq; erumpit aperta.
Vt tandem paulum tenuere silentia cuncti
Effatur, talesq. trahit de pectore voces.
O pater, ò hominum sator, & Rex summe Deorum,
Quem non vlla latet res, cui famulantur vtrinq.
Sidera, qui nutu totum moderaris Olympum,
Terrarumq. orbem, qua tendit brachia Nereus,
Oceanusq. pater: mea quid nunc regna receptis
Hostibus amitto, dilectaq. templa relinquo?
Inuitam, fateor, me discessisse, nec ullæ
Sufficiunt uires, campo queis miles aperto
Pugnet, & hostiles effringat comminus artes,
Amissumq. quod est repetat ui, & fortibus armis.
Tu Pater ipse potes sanare hæc uulnera, tuq.
Debita Barbarico perstringere fræna furori.
Aspice quas cædes passim, quæ incendia miscent:
Non timet assiduos bellorum infida tumultus,
Contemptrixq. Deum gens hæc, cui nulla parandis
Esse fides regnis, adhibenda aut iura uidentur.
Fœdera nulla queunt animos domuisse, furorem
Innatum

Innatum ſequitur, præſcriptas frontibus eſſe
Cuiq. putans mortes, & ineuitabile fatum.
Hoc illis ſæuus Maumethes gentibus olim
Indidit, & falſa obſcænis, & ſacra profanis
Miſcuit: his multas inſtruxit legibus urbes
Eoas, docuitq. uiros, ferosq. nepotes.
Romulidæ dudum, Hiſpani, Venetiq. ſuperbos
Vt reprimant undis Turcas, claſſemq. Selini,
Hi conſpirauere ſimul; ſed ſingula noſti,
Delectumq. Ducem Auſtriacum, quo maior in orbe
Non quiſquam, armis ſeu ſit opus concurrere, ſiue
Conſilio peditem caſtris effundere apertis.
Huic, ſi fas, precibusue meis ſi flecteris, ipſam
Circumferre manu forti dabis Aegida, notum
Inſigne, hoc bello præſertim iure ferendum.
De nobis agitur; ſubiecto fortiter orbe
Nos petet, & cælo ſtellantia clauſtra per altas
Admiſſus moles tentabit uertere ferro.
Nec manes tuti, ſubiecta uel atria Ditis
Tuta; Deos atris turbabit ſedibus Orci,
Emittetq; (nefas) tenebras, quo priſtina mundo
Sit facies: quæ dira Chaos demonſtret imago.
Et mihi ſit uiſum: mea cura Venerius heros
Signa mea attollet pelago, fluctusq. minanti
Vultu perterrens attinget uertice Olympum,
Et Scythiæ effringet pubem, fractasq. Selini
In puppes properandi auidus proſternet, & audax
Inuadet caſtra, & ſpoliis ornabit opimis
Quos bello ſocios, tenuit quos pace ſodales.

Mars unde Imperium Romanum, Romulus unde
Auxit dilectos inopina laude nepotes,
Unde & septenis se totus collibus orbis
Subiecit, qua Phœbus equos educit ab Indis,
Occiduumq. rotis ardentibus inficit æquor:
Mars adsit pelago, uelisq. effic̄ta columna
Constantem referat pugnam, nec mota superbo
Turcarum sonitu, quassas effringere naues
Sit potis, & sæuas undis immergere puppes
Nam memini patrem Solimanum plurima quondam
Coniecisse simul iacula, atq. hæc plurima nunquam
Perfregisse; tamen diuisa hæc singula fregit.
Et dixisse ferunt: Diuturna potentia nulla
Diuisa, & durum tot deseruire Tyrannis.
Diuisam Europam se non horrere ferebat,
Coniunctamq. animis totam concordibus esse
Quod timeat, Marte & iunctos horrescat iniquo.
Quid si pro leuibus calamis, quam diuidet æuo
Sors nullo frangenda foret correpta columna?
Dixerat. at Pater est contra sic ore locutus.
En quodcunq. petis dabimus, sume Aegida, sume
Quod libet, & Cyprias repara successibus urbes.
Tum Cytherea domos cœlestia tecta relinquit,
Conscendit currum, geminæ subiere columbæ
Mox iuga, decliui & cursu Neptunia claustra
Peruadunt, uigilesque cient, & numina Regis
Aequorei uitreis astantia postibus: aulis
Ipse sedet nutuque maris moderatur habenas.
Qui post quam aduenisse Deam cognouit, ab alto

Obuius

Obuius occurrit solio, de hinc excipit aula
Ingenti, exoptatq. uiæ pernoscere causam.
Ipsa prior patruo sic: dudum ad littora Nautæ
Hispani Italiæ ratibus contendere certant.
Tu facilem Neptune uiam uenientibus opto
Des: nam Massagetas scito fore (Iupiter auctor)
Deuictos, pelagusq. semel, non amplius atro
Sanguine sordescet, trabibusq. immista profundo
Tela manu hostili procumbent barbara ponto.
Idcirco Austriacus properat Dux, & uada remis
Salsa terit; Siculasq. citus petit æquore terras.
Vix adhibere fidem Neptunus grandibus ausis,
Credere uix Turcas genus insuperabile bello
Vinci posse, unquamue undis procumbere uictos.
Haud Venerem audire, haud ueros se cernere uultus,
Sed putat in somnis se hæc præuidisse, futura
Non unquam, & uanis speculatum insomnia rebus.
Quæ quoniam certis patefecit Cypria signis.
Tot adhibere fidem iam pectore cæpit, & ipsa
Gaudia non differt, curruq. inuectus ab aula.
Cæsariem ostentans pelago spatiatur aperto.
Oceanum ad patrem Triton mandata ferebat
Quædam, nec bibulis rem exceperat auribus istam,
Et subitum celerabat iter: Delphines ab undis
Prosiliere: ferunt, redeat, nec concitus ultra
Progrediatur: erit quid nescio maius agendum.
Miserat hunc etenim summus regnator aquarum
Oceanum ut dictis his compellaret amicum.
Marmore cur toties sanguis profluxit, & usq.

 Sorde-

Sordescunt fluctus trabibus? quis exitibus est nam
Finis? dum propria uacuus spatiarer in aula,
Decidit immensum pondus (puto nauis) & ipso
Regia persistens gemuit sub pondere tota.
Quaero quid hoc nam sit; referunt, Caracossa, Selini
Occhialusq. Duces ternas fregere carinas,
Haud numero tutas, promptis sed uiribus usas;
Pars perfossa armis fundum petiere, superstes
Pars trahitur ui capta. mari furit impia pubes
Turcarum, saeuitq. undis & praelia miscet.
Oceanum ad patrem Triton mandata ferebat
Talia, sed redit, & mulcet concentibus aequor
Imperio Regis placidum. tum forte dabatur
Italiam Hispanis procul ipsam cernere: uela
Intendunt Zephyri; & uerrunt freta caerula nautae.
Hinc Genua apparet, super & consurgit ab imis
Appenninus aquis, & uertice sidera tangit.
Spectatur Cirnus saxa inter, & ardua tollit
Ex undis Icnusa caput, dehinc alta Tiphaeo
Imposta Inarime apparet: Prochytenq. dabatur
Iamq. Pythecusas Tyrrheno cernere ponto,
Cùm capite emersit, dextra & Neptunus euntes
Impulit, i classis, quo non felicior ulla;
Ne timeas, inquit, sparget victoria dudum
Optatas palmas, & cinget tempora Lauro.
Dixerat, illa uolans uolucri uelocior Euro
Prona secat maria, & portu se condit in alto,
Messanam, & Siculas penitus allabitur oras.
Nox erat, & placidos mortalia pectora somnos

Carpebant

Carpebant, pars fessa foros, pars transtra tenebant.
Dux tamen Austriacus per opaca silentia noctis
Multa animo secum reputans, hoc gloria belli,
Quem maneat nescit: se ausurum grandia spondet,
Nec fore per se, quin pelago pugnetur, uter sit
Victor, & hostili potiatur deniq. Gaza.
In se hominum conuersa uidet tot lumina, & orbem
Incumbentem humeris sibi: singula corde uolutat,
Quæ uitanda mari, terris quæ aptissima, bellum
Dum geritur tantum, Europæ dum finibus hostis
Pellitur, aspiratq. ausis Fortuna secundis.
Hæc qui dum secum loquitur, ponitq. futura
Ante oculos uelut ipsa forent præsentia, causas
Pernoscit rerum, sese & uenientibus offert
Præscius, & belli seriem molitur, & ipsis
Acrius insurgit curarum fluctibus obstans.
Talia uoluentem secum Venus aurea dictis
Talibus affatur. genus alto à sanguine Regum,
Qui Quincto fatus affectas, quæ maxima Quinctum
Affectasse ferunt: humeris tibi pondus inhæret
Immensum, uirtus tanta nec mole labascit.
Quem petis, horrendus terraq. mariq. uidetur
Thrax, tamen haud timeas, quoniam (sic fata tulere)
Hostilesq. rates, inuictaq. dextera quondam
Procumbet, poteris patrios ornare triumphos,
Acceptum uel laude decus cumulare perenni.
Affero, qua bello utaris, notam Aegida (signum
Hoc paueant Turcæ, hoc hostilia tela tremiscant)
Dices apprendit dextram, unquam nũ hæc loca nosti?

Ignarus Siculæ nam hæres ad littora terræ.
Quærentiq. modum confectum nauibus esset
Quo tantum maris; en quoniam Deus affuit, inquit,
Impulsæ puppes, impulsaq. robora littus
Quod petiere tenent; Siculo portuq. fruuntur.
Vix effata leues nulli spectanda per auras
Se tollit, frustra & clamantem, & plura uolentem
Dicere deseruit, subitoq. elapsa recessit.
Ceu cùm membra thoris posuit quis fessa paratis,
Indulgens genio; subeunt insomnia mille;
Vera uidere putat, sed uana simillima ueris
Se obiiciunt animo: subito si murmure somnus
Discutitur, fugiunt, nec sat meminisse potest num
Visa die hesterno sint, seu ludibria somni,
Se, quod habet manibus, non credit habere, nec esse
Est ubi Dux Quinto satus, & uix Aegida sumit.
Vt se collegit paulum, certisq. tenebras
Dimouit rebus dubias, sic ora resoluit.
Magne Pater, Diuum Rex, quẽ unum cuncta creata
Nosse creatorem debent, cui Pontus, & aer,
Et terra, & gemini famulantur cardinis axes;
Te auctorem fateor rerum, implorata cadenti
Tu imperio auxilia affers: dudum Europa minaces
Turcigenum horrebat uultus, dux dudum ego factus
Suscipio hoc bellum: faueas modo grandibus ausis:
Quod si fata sinunt, precibus si numina nostris
Flectuntur, cursus dantur si forte secundi,
Centum aras condam, centumq. ex ordine Tauros
Mactabo, & choreas peragat Victoria festo

Læta die, fastisq. addant celebrentq. nepotes.
Vix ea fatus erat, læuum insonuisse fragore
Ingenti auditum; uox & delapsa per auras.
Classibus Adriaco ponto furit impius Halis,
Quem tamen ipse premes rapido certamine Martis.
Naupactusq. fremens, Patræq. humilesq. Pelasgi
Huius erunt pugnæ testes: belli exitus est iam
Præscriptus, belliq. manent incommoda mille;
Quæ tamen una dies absumet: gloria cordi
Sit tibi, sitq. Pater quo non præstantior alter
Bello, qua croceis emergit Phœbus ab Indis,
Et pronos currus qua gurgite condit Ibero.
Vix hæc audierat, pauidos timor occupat artus,
Et gelido maduere comæ sudore, repente
Insolitò exanguis totoq. expalluit ore.
Iamq. rubescebat Tithono Aurora relicto.
Sole oriente Dies lucescit: fama per urbem
Aduolat Hispanas dudum aduenisse cohortes
Messanam, & totum compleri milite littus.
Venerat huc Veneta cum classe Venerius heros
Ante, sed Hispanos, ut nouit adesse, Ducemq.
Austriacum procul aduenienti se obuius offert,
In primisq. Ducem, & gentem amplexatur amicam.
Succedunt pariter tectis, epulisq. recentem
Exoptant sedare famem, dapibusq. remotis
Multa super bello tanto concepta loquuntur.
Stat pugnare mari, una hæc est sententia cunctis;
Non exploratum quando pugnare facultas
Sit, stant arrectis animis, crescitq. Cupido

Vincendi,

Vincendi,atq. alitur notis concordia sensim
Pectoribus furibunda licet deminuctur Erynnis
Quos inter tali sermone Venerius usus
Dicitur esse. Ducum si præstantissime cerno
Hostiles uires,hostilia tela,furentes
Dextras,horresco fateor,nec bella timerem,
Si foret & nobis pugnandum uiribus æquis.
Nos hostis numero superat,iam uictor opimis
Insultat Venetum tectis,nec Clodia tuta,
Dum Caracossa mari flammas,incendia spirat.
Vicimus hoc uno,namq. omnia iura resoluit
Diuina humana,& Diuos in uota uocatos.
Nil ictum fœdus,nil uel data dextera dextræ,
Nil promissa fides mouit,præcepta patrum nil,
Maiorum aut cineres:legumue oracla suarum.
Hoc norunt Superi; quoniam dum nocte cupitos
Vix capio somnos,uix lumina fessa soporem
Quæsitum excipiunt,notis Cyllenius alis
Astitit, & tales deprompsit pectore uoces.
Nuncius aduenio superum mandata per auras
Hæc referens.cadit hostiles Famagusta per ignes,
Baionusq. cadit,peditumq. equitumq. repressa
Vis (flebam ipse) nequit latis excurrere campis.
Nec desperatis medicina adhibenda,nouum sed
Ordiris quoniam bellum,Bellona triumphos
Despondet (stat enim) duro decernere ferro.
Ne dubites;Veneris signum hoc ostendet ab alta
Puppe Scythas uictos,totam classemq. perustam.
Hoc Veneris munus dixit,nec segnior Euris

Fugit

Fugit, & è terris cœlo se condidit alto.
Cypridos hoc signum, & munus. Venus aurea campo
Extabat medio; flores, & lilia circum
Florebant uirides ipsa texente corollas,
Et titulus suberat: Scimus cui serta parantur.
Pars miratur opus tam insigne coloribus; & pars
Materiæ obtutu fixa hæret; nam aureus orbis
Vertice fulgebat, limbus circundabat auro.
Totum opus, atq. auro radiabant sidera puro.
Ad rem dum tantam totis concurritur aulis,
Nuncius ecce, rates portus intrare paratas
Romulidum, & sonitu protendere gaudia magno.
Adcurrunt omnes; gratantur; & omine læto
Excipiunt portu: sed uelo intexta columna
Astantes mouet, & scitari, & quærere causam.
Iam ardent, cunctando sumitq. alimenta Cupido.
Vt terram tenuere Duces, nec iam amplius undæ
Voluuntur remis; summus ferit æthera clamor
Lætitiæ compos uix, & discurritur urbe
Tota: succedunt tectis, atq. atria complent
Romani, ducibusq. duces, & milite miles
Coniuncti: Hispani occurrunt, Venetique; paratis
Resficiunt epulis defessos se maris æstu,
Vndarum &, dum Scylla uorax, salsosq. Charybdis
Absorbet fluctus, & sidera uerberat iisdem.
Postquàm pulsa fames; dapibus mensisq. remotis
Conueniunt proceres, tenuere silentia cuncti,
Romanusq. effatur Dux: audite frequentes
Hispani, Venetiq. duces, dum multa Senatu

De bello tantum peraguntur:tota moueri
Curia uisa(nouum)Romæ,quin fulmina cœlo
Missa:omnes rerum cupidi cognoscere causas
Dum pertentamus;subito Mars astitit unde
Romæ olim totus(si fas)promittitur orbis.
Squallebat lorica auro,nitidoq. orichalco,
Et galea,atq.ensis,rubræq. in uertice cristæ:
Incessusq.Dei speciem referebat : at omnes
Voce salutamus præsentia numina,salue
Summa Iouis proles,bello fortissime Diuum.
Terrigenum parto salue memorande triumpho.
Ille nihil,torquens oculos hæc rettulit : o gens,
Quam mediis toties texi,fouiq.periclis,
Olim creuisti:proprias nunc Roma ruinas
Ingeniis,& cineres poscis,uiresq. Quirini.
Septenis cessit subiectus montibus orbis,
Et fore præuideo cessurum.classe paratur
Bellum,adero præsens,& reddam numine tutam.
Fata PIum factis,& relligione potentem
Delegere PIum rebusq.& nomine,quo non
Dictator, pace,aut bello præstantior alter,
Seu priscus priscis euoluatur Numa fastis.
Hæc sint uela Ducis puppi, hæc mea signa uidebit
Turcigenum tepido maculari sanguine miles.
Dicens explicuit uelum,cui picta columna
Aurea:num signum nostis?sic fœdera sunto
Icta diu:iunctam Europam nam Turca perhorret,
Sæpius horrendo disiunctam contudit ense.
Dixerat;atq. oculis subito submotus ad altos
Cælicolas

Cælicolas rediit. nos uelum aptamus, & ipsum est,
Quod Siculo dudum potuistis cernere portu.
Sic fatus: tantæ spes laudis creuit, & ipsis
Arrectæ mentes dictis; Rhamnusia duros
Subiiciens stimulos spatiatur littore, & urbe;
Classe ferebatur namq. omni Parthaus esse
Adriacoq. sinu, uicinaq. littora flammis
Vastare, & miseras prosternere cædibus urbes.
Nil poterat fieri contra; nec uenerat ipse
Dorius: è Genua uix se commiserat undis,
Cogitur in densis obscurus nubibus aer,
Eripiturq. oculis sensim lux, æthere uenti
Toto discurrunt, & cælo prælia miscent:
Fit tonitru, atq. micant crebræ per nubila flammæ.
Dorius hoc alta aspiciens è puppe; quid, inquit,
O socii horretis, nec dum mare sæuit, & ipsi
Vix se se attollunt fluctus? incumbite remis;
Si toties ferri, flammæq. euasimus iras,
Optatisq. olim patuit uia peruia nostris;
Ibimus, atq. uiam remis faciemus ouantes.
Vos, quibus imperium undarum, Dii, quas rate uelox
Percurro celeri, faueatis grandibus ausis:
Scitis quò properem, nostis queis classibus æquor
Barbarus infestet, belli causamq. tenetis.
Talia dum iactat Borea stridente procella
Vela ferit, fractiq. cadunt in gurgite remi.
Tolluntur fluctus cælo, subeuntq. carinæ
Vi raptæ montes, & cæcis fluctibus errant:
Vertice dum pendent summo, sensim unda dehiscens

Pontum aperit, magnæ diductoq. æquore ualles
Subsidunt, nigri spectatur regia Ditis.
Hinc frendens Aquilo gelida bacchatur ab Arcto,
Aduerso hinc Auster committit prælia curru;
Certatim subeunt uenti; subitoq. fragore
Personat axis; eo franguntur murmure nimbi:
Crescit hyems pluuia; & subitis micat ignibus æther.
Rector quid faciat, nec quæ facienda satis nunc
Nouit, in ambiguo stupet ars iam uictaq. fluctu;
Nec cui iam uictus clamanti pareat ipse
Scit; nam quisq. iubet: rapidus timor omnia uersat.
Interea Doris turba comitante suarum
Nereidum properè Neptuni tecta petebat
(Quo uirides Diuos mox ad conuiuia salsæ
Neptunus moderator aquæ accersiuerat) illa
Pontum ubi misceri sensit, totumq. moueri,
Et gemere, aspectu & spumis albescere toto;
Nescia adhuc rerum æquorea caput extulit unda;
Disiectasq. rates, diuulsaq. robora uentis
Vt uidit, mediis detentum & Syrtibus ipsum
Dorium, & amissis optantem currere remis;
Infremuit, madidosq. Notos, Boreamq. furentem
Increpat his dictis: nostro sine numine moles
Cur toties tantas audetis sæua propago
Tollere? abite fuga, raptimq. abscedite ponto.
Hæc dicens Syrtes aperit, nubesq. fugatæ
Inducunt solem, placidum spirantibus æquor
Stat Zephyris. quando ceu forte exorta per urbem
Seditio, populiq. animis insedit Erynnis:

Crescit amor pugnæ, nec non furit impia pubes,
Impete quin primo Mars tota accenditur urbe.
Si tamen insignem quem, & relligione potentem
Conspexere uirum; tenuere silentia cuncti:
Ille animos mulcet, furiosaq. corda tumultu
Deprimit insano: crescit facundia dictis.
Sic maris extemplo cessit furor, iraq. uires
Deposuit furibunda suas: tum numine tutus
Dorius, errantes pelago recipitq. sodales,
Messanam, & fessa portus classe intrat amicos.

LIBER SECVNDVS.



OSTQVAM tot iunctis
confecta est maxima classis
Nauibus, atq. Duces raptim
coiere: Ducum Dux
Austriacus, belli sibi quod per-
missa potestas
Sic fatur. socii scitis quæ mune
ra nostris
Incumbant humeris, patrios si rite triumphos
Exornare ausim propriis: si patris imago
Excitat ingenium, nullis si pectora curis
Franguntur: statui ferro decernere; Dii uos,
Qui hæc nostis, rebus precor aspirate secundis.
Optatæ uenere rates, creuitq. Cupido
Viribus admittens stimulos, & Martis amore
Arrectæ peditum mentes, Victoria palmam

Despondet gratam, Diuos, Zephyrosq. sequamur
Præsentes Siculis satis egimus ocia terris.
Satq. Lares patrii desensi, & patria tellus,
Sit sat pugnatum nostris in finibus, & sat
Pertulimus flammas immissas: hostibus ultro
Vltro occurramus ferroq. & robore densi.
Si (quod fata sinant) procumbet Pontica classis,
Eoa et uirtus pelago turbabitur alto;
Laudibus, & subito spoliis orientis onustos
Excipient nati uenientes; patria tellus
Vestra tuta manu Borea spirante recentes
Emittet flores, & quod mirabile dictu
Semper erit, roseis ornabit tempora sertis,
Intempestiuas Bruma nectente corollas.
Sin contra uictis (superi omina tristia uertant)
Libera barbaricis perstringent pectora uinclis.
Nunc ò nunc potius sic fortiter occumbamus
Septi armis ante ora Ducum tot, tela uel inter,
Vicisse & proprio lætetur Turca periclo.
Corda metu careant externo; pellite siquid
Vnquam animis potuit pauidi insedisse timoris.
Sed subeant nati, desertaq. finibus uxor
In patriis, hosti certa omnes præda futuri,
Ni dextram æternis mox exornare trophæis
Sit cura, & potius ferro decernere mens, quàm
Digna indigna pati, quam deseruire Tyranno
Imperium toties fraterna cæde petenti.
Este uiri fortes animis, melioribus ausis
Pontum inuasuri, penitus qua stringitur æquor

Infle-

Inflexum, claustris sæuitq́. Propontidos arctis:
Sæpius ô bello quondam spectata iuuentus,
Quos non tela, minæ quos non flexere, timores
Pectore qui nullos nouistis, sanguine dextra
Nobilis externo, quas affectare coronas
Te decet? atq. altæ conscendere culmina laudis?
Vnum est ô socii, dextris exponite uitam
Insignem donis, cumulandam laude perenni.
Quodq́. bonis auibus uos promisistis, & ipsi
Sponte date; hos patriæ primos concedite honores.
Dixit iam uirtus erecta Cupidine belli
Ardebat, quin pugnandi mora nulla fuisset,
Iuuisset q́: capiti mille obiectasse periclis,
Hostiles tentasse rates, & robora flammis
Implesse, & piceos tædis mouisse furores;
Si ipsa facultatem pugnæ Fortuna dedisset.
Sed quia classe parant aliò discedere, læto
Littora complentur nautarum murmure: clamor
Exoritur, subito feriuntur sidera cantu.
Tum forte ex imis capite emersisse caminis
Dicitur Aetna, super creuere incendia uenis
Sulphureis: licet & solito Cyclopes in antro
Perstreperent, durisq́. graues incudibus enses,
Et galeæ, & clypei crepitarent; attamen omnes
Permoti attentas præbent clamoribus aures.
Ceu quando Roma partos egere triumphos
Scipiadæ magni, cum fractas Africa uires
Fassa est, colla iugo submittens uicta recenti:
Corpora uicta trahit uictor, religata cathenis

Brachia

Brachia totq. Ducum. læto Capitolia uultu
Arrident: Romana ruunt auidè undiq. pubes,
Pars currus circum currus contingere gaudent,
Gaudia, quæ cupiit, pars uix capit: aurea clamor
Astra ferit: passim responsant antra canentum
Voce lacessita, & raucum sub nubila murmur
Iactant: applaudunt pueri, teneræq. puellæ.
Haud aliter miles, nautæq. in littore uoces
Clamore attollunt, quoniam discedere portu
Classe parant Siculo, quoniam maiora per altas
Euoluunt mentes; speratas pectore prædas
Concipiunt, minimaq. mora spes maxima crescit.
Qualis equus, campo ad cursus eductus aperto
Expectans signum ardescit, nec carcere sæpe
Contentus solito erumpit; non fræna furorem
Conceptum cohibent; depressa uel ora lupatis:
Quoq. magis retinent, magis ardet abire, Cupido
Paulum pressa furit, nec fert ceruice timorem.
Sic instant operi nautæ, pars transtra, forosq.
Expediunt, uinctas pars deducuntq. carinas:
Feruet opus, totum completur murmure littus.
Et iam Phœbus equum fumantia colla parabat
Soluere, iam pelagus præceps urgebat Iberum:
Incubat & cælo Nox atra laboribus illis
Impositura modum diuturnis. tecta frequentant
Quisq. sua, & cupidum dapibus solantur amorem.
Ast ubi pulsa fames, placidam per membra quietem
Excipiunt somno, laxant & pectore habenas
Curarum; fugiunt uolucres discerpta per auras

Quæ-

Quæcunq. assiduis stimulis mortalia uexant
Corda: quies latos serpit diffusa per artus.
Dux tamen Austriacus uoluebat mente futuros
Euentus belli, palmæq. manentis honores:
Non Faciles Regis subeunt penetralia somni,
Cui populus curæ, solio qui notus auito
Clara refert patrum facta, & maioribus instat.
Iupiter interea hæc cernens consederat alto
Sublimis cœlo (neq. enim Nox altior orbe
Terrarum insurgit: fit terris umbra nitenti
Oppositis Phœbo, quam Noctem prisca uocarunt
Gens: tamen assiduo scintillant astra decore,
Nec patet ad cœlum furuæ uia peruia nocti)
Mox Maia accersit natum, dehinc talia fatur.
Messanæ somnos miles capit ecce quietos,
Sed uigil ille thoris meditatur, quem Austria signo
Insignit claro; quo bellum more geratur,
Qui finis, maneat uictorem gloria pugnæ
Quæ; cui promittat dubias Victoria palmas.
Tu propera Somni ad tecta, & iube adire uirum, que
Proposui, & uigilem somnos inducere mentem.
Discessum hortetur Zephyris spirantibus, & iam
Monstret adesse uiam, qua uertice sidera tangat.
Sic ait: ille secat motis talaribus Euros,
Iussaq. quo iussum defert patris inde per auras.
Est locus Aemoniæ sylua circumdatus atra,
Quem colles circum densant, quemq. arbor opaca
Lata coma tegit, & crassa densissimus umbra:
Quin lento circum percurrit flumine Lethe

Permi-

Per miſcens rebus nanarum obliuia rerum:
Veſtibulo creſcunt perfuſa papauera ſomno;
Rex antro piceis obducto nubibus altos
Mente capit ſomnos;illi famulantur utrinq.
Atq. adſunt cupienda Quies,Inſomnia mille;
Stat Labor ante fores,atq. in penetralia ducit,
Quos operi intentos nouit uiguiſſe diurno.
Non uenit huc Regum pellucens purpura , longe
Miles abeſt,longe qui remis æquora ſulcat ,
Quæſitasq́ trahit dubia qui claſſe per undas
Sæuus opes, Boreæq. minas,Auſtrosq́. perhorrens .
Huc tenuit curſum motis Cyllenius alis,
Atq.ubi Somniferi tetigit palatia Regis
Vix oculos tollens ſomno,uix pectore ſeruans
Dicta patris,tandem uerbis his ora reſoluit.
Nuncius aduenio,ſummi qui iuſſa Tonantis
Affero:Meſſanam propera,uigilesq́.ſopore
Solue artus Ducis Auſtriaci ſubitumq́. paret die
Diſceſſum;mora nulla ſiet ſpirantibus Euris.
Sic ait ille ſtatim paret,noctisq́. per umbram
Fertur, nocturni ſocii comitantur,iterq.
Plus ſolito celerans Siculis allabitur oris;
Inq́. Ducis iuſſi caput aſtitit uſq. paternos
Ornatè referens uultus;ſolitoq́. decore
Nati clara patris facies ante ora refulſit;
Sopitum alloquitur.nate, ò mea cura,Deorum
Numine qui claſſem ducis Dux;Auſtria curæ
Sit tibi noſtrum inſigne,paternaq. gloria cordi.
Si prima noſtros euoluo ab origine faſtos ,

Creuit

Creuit laus bello; emersit Germania nostra
Virtute, & fractis defecit uiribus hostis:
Siue Afros bello tentauimus, Africa cessit,
Seu rapidam Arzerii tentauimus æquoris undam
Incassum; fortuna tamen seruasse triumphum
Creditur illa tibi: quin cessit Gallica uirtus,
Lantgrauiusq. ferox, propriis & uiribus urbes
Vsæ, atq. Albinis ceciderunt Saxones undis.
Nate libens patris uestigia nota sequare:
Quid tamen incumbis stratis? discedere terris
Et licet, & debes: audis spirare secundos
Euros? fata uocant te te ad maiora; triumphos
Prospicio: & nostras sequitur Victoria palmas.
Et uerba, & tenuis densam in noctē umbra recessit.
Interea excutitur somno Dux dicta rependens
Audita, & patrios monitus per pectora uoluens.
Discessumq. iubet, puppi & sublimis ab alta
Talia uoce refert: Ponto Dii numen habentes,
Quorum classe æquor percurro; cursibus este
Este precor faciles, ueteri pateramq. Falerno
Porricit in fluctus spumantem, & numina placat.
Littore discessus, totaq. ex urbe paratur;
Certatim nautæ coeunt, & milite transtra
Complentur, lætisq. insultat uocibus æther.
Aestate acueluti rapido sub Sole labores
Formica exercet uarios; maioraq. maior
Fert grana; & subeunt retro suscepta minores
Pondera: feruet opus, lato deponitur antro
Primum onus, atq. alia cupidæ sub mole laborant.

Sic nautæ adnixi correptum uiribus urgent
Pondus, & imponunt. subtus gemit ictibus usq.
Pulsa ratis: subeunt & propugnacula læti.
Alta Duces: Dux ipse inter, cur hicce moramur
O socii? neq. enim terris licet esse, mari sit
Nunc iter, & uirides Diuos in uota uocemus.
Sic ait, & nitidum uagina liberat ensem.
Duraq́. uincla secat; gemitum retinacula reddunt
Desecta, atq uolans decurrit in æquora Pristis.
Consequitur classis: sustollunt uela rudentes,
Candidaq́. optatis inflantur carbasa uentis:
Insurgunt Zephyri, antennarum cornua robur
Summa cauum rapiunt, permiscet palmula spumas
Vi mota, & pelago classis prorumpit aperto.
Iamq́. Pharon, Syrtesq́. graues, angustaq́. claustra
Legerat, Ionia apparet procul Appulus unda;
Nil tamen à dextra apparet; nisi pontus, & aer:
Iamq́. in conspectum Corcyræ uenerat, ecce
Ecce rates, Melite quas misit, sidera bombis
Celsa fatigantes, post quàm uidere triremes
Aequato placidos discurrere remige fluctus.
Quæ, quoniam classis Messana abscesserat, usq.
Phæacum ad portus properarant ire; fefellit
Nec spes certa uiros: classi iunguntur ouantes,
Et subeunt portus, & littora milite complent.
Duxerat huc paucis naues sex ante diebus
Barbadicus longas; patria quo clarior urbe
Non quisquam fuit, optandos cum pacis honores
Sustinuit; bellis emersit gloria maior.

Machina

Machina tanta animos uenientum detinet:omnes
Admirantur opus;contextaq. robora fixo
Obtutu inspiciunt;circunstant turba frequenti
Conuentu,& tanta depascunt lumina mole.
Ille sui aduentus causam docet:ipse Senatu
Delectus belli socius:nec plura locutus
Protendit tabulas, queis publica iussa uidere
Cuiq.licet:tales dehinc effert pectore uoces.
Hoc animo optaui toto,superiq. dedere,
Gratior & cæptis fauit Fortuna secundis.
Sunt patriæ leges optata pace tuendæ,
Sunt iura & belli;sunt utraq. tempore semper
Nota suo:subita ceu nauis pulsa procella
Ventorum rabiem sequitur,nec tuta minaces
Exhorret pelagi uultus:ubi ponere uentos
Persensit,celeri currit freta cærula remo,
Ars nec fessa malo clauum detorquet ad oras
Quas petit.o socii si carpere pacis habenas
Laus est,& subitos populi sedare tumultus,
Quam maior bellis?uitam miscere periclo,
Pectora nec pauido unquam subiecisse timori?
Martis crescit amor,quin palma petita petenda;
Ipse ineo primus,pertentem ut prælia: mortis
Non dum atræ stimulos didici exhorrere:quid ergo?
Siue mori dabitur,moriamur fortiter armis
Insignes,plures modo nostra ruina ruinas
Contrahat,& parili sternantur corpora leto:
Siue salus bello tandem quæsita remittet
Forte domum incolumes:florentes terra corollas

Patria contexet, meritis & tempora sertis
Ornabit uarios distinguens flore colores.
Pro patria Decios, patria pro meq. perisse
Barbadicum seri poterunt meminisse nepotes.
N.u uerl is socii mentes aduertite, pugna
Inspicienda graui uirtus, & prompta periclis
Corda, per hostiles uel cognita dextera dextras.
Pace togam gestasse iuuat, iuuat arma recenti
Bello sumpsisse, & clypeum, galeamq. nitentem:
Et licuit ferro sumpto incessisse, forumq.
Solicitasse ipsum lingua, Sanctiq. Senatus
Conuentu subitis mouisse furoribus urbem;
Dum sequitur pacem quis belli incommoda uitans,
Conditione Cyprum dandam dum censet iniqua:
Quos ipse exciui cineres? patrumq. triumphos
Quos numerasse datum? exarsit queis curia dictis?
Nec tanquam belli suasor fera bella refugi;
Primam aciem exopto, nec non si debita pesco
Aduersa ante alios bellum mihi fronte gerendum.
Maximus inuasit terror, perculsaq. corda
Mærebant Venetum, quando Nicosia flammis
Cincta suos cineres, gemitus lachrymasq. fouebat;
Sed quid opus pauidis, ò ciues fletibus? inquam;
Dant leges belli hoc: malletis sponte dedisse,
Quod ui subripuit, proprio quod sanguine ademit?
Estne animus pacem amplecti? reliquum date: uictor
Felici euentu elatus Gortynia tecta
Debita iure sibi petet; hæc quoq. danda petenti?
Mox nos inuadet, mox barbara uincula collo
Iniiciet:

Iniicit: Nullis Libertas tuta latebris.
Arrigite ò Veneti dictis his acrius aures,
Exiguo immensam nec spem dimittite damno:
Nitamur contra coniunctis uiribus; adsunt
Qui simul arma ferant. respirauere labantes
Spes hominum: pugnæ cupidumq. & Martis amore
Ardentem ad bellum dimittunt omine læto.
Excessi, & socius sociis miscendus in alto
Adueni, longas sex adduxiq. carinas.
Talibus attonitus miles faciemq. uiriq.
Lustrabat uultus facili grauitate decoros,
Non homini similes, quales sed magna Cybelle
Edidit æternùm cœli supera alta tenentes.
Non aliter fertur mortales Iupiter olim
Intrauisse domos testatus numen adesse;
Quem circum tereti præcinxit turba corona,
Et ueneratα Deum thuris diffudit honores.
Barbadicum miles cernit, cernensq. Deorum
Esse putat quemquam, claro qui lapsus Olympo
Tot damnis tandem defessum inuiseret orbem.
Ille nitens auro incedit: nam uertice summo
Fulgebat galea, & niueæ duo cornua cristæ.
Thoracem aptarat gemma pellucidum Eoa:
Hoc opus igni potens Cyclopum fecerat antro,
Quod circum tenui cingebat circulus auro.
In medio extabat Virtus; iuxtaq. Sophia
Crinibus, & parto fulgens Bellona triumpho:
Certabant utri deberet gloria palmas
Primas, & notis miscebant iurgia uerbis:

Condi-

Condi dit illa urbes munitas legibus, ista
Imperium bellis auxit: nec pace tumultus
Delectant; Sophiæ quærit nec pugna libellos.
Ambigua Virtus causa, Victoria honores
Cui det adhuc nescit, cuiquam concedere palmam
Non audens, rebus magis, ac magis hæsitat ipsis.
Vndiq. erant procul & pueri, innuptæq. puellæ
Regia Virtutis certatim tecta petentes:
Astabant propius Fabii, Gallisq. Camillus
Deuictis uictor; maiori & Cæsare magnus
Pompeius iuncto; Pœnus dehinc Annibal, atq.
Scipiadæ magni, Mariusq. & Sylla superbi,
Fraxinea ante alios spectandus Romulus hasta.
Splendebant ocreæ argento, claroq. Pyropo:
Vestit utrasq. Rosa, & sumptis Victoria palmis
Sede sedet media; dependent lilia sertis
Intexta, & gratum fundens Hyacinthus odorem.
Ense latus fido armatur; clypeumq. sinistra
Sustinet auratum, quem Brontes ambiit auro,
Cælatq. Deum pugnas, pressumq. Typhœa,
Centimanumq. Gygen, altum cum Pelion Ossæ
Impositum superas bello perterruit arces.
Tali Barbadicus Corcyræ indutus amictu
Incessit. creuere nouæ spes; miles in ipsa
Iam ruere arma libens, uitam pro laude pacisci.
Tum Dux Austriacus: socii non esse potestis
Hic, si pugnandi incessit generosa Cupido.
Hinc excedendum, nunc ò nunc tempus, & Auster
Ipse fauet. cursus dat uel Fortuna secundos.

Sic ait. excedunt portu, pariterq. triremes
Longæ procedunt: crebris sonat ictibus æquor
Remorum, Ioniiq. gemunt sub pondere fluctus.
Parthaus interea Naupactum classe tenebat,
Maumethes, Halisq. ferox uicina recenti
Littora complebant (nec mirum) milite, namq.
Græcia pressa iugo hostili, seruire Tyranno
Cogitur, & iussis natos admittere bellis.
Cùm fuit allatum Zephyro aduentare secundo
Austriacumq. Ducem, sociosq. in fœdera iunctos,
Ionium innumerisq. urgeri classibus æquor.
Commouit subito mentes hic nuncius: urbe
Bacchatur tota rumor, mistusq. timori
Insurgit pauido clamor. Caracossa ruentes
Conuocat, & placidis permulcet pectora dictis.
Quo miles uirtus, quo pristina gloria belli,
Quoue abiit promissa fides, data dextera? nuper
Adriacoq. sinu, & Phæacum incendia terris
Vidistis; Venetumq. domos timuisse ruinas
Obiectas oculis, nostis: nunc puppibus ignes
Iniicite extremos, propriasq. resumite uires.
Nunc decet, & dabitur sumptis occurrere telis,
Imperiumq. nouum quæsito ornare triumpho:
Christicolum curua nunc riui sanguinis Harpe
Mittantur, pariterq. cadant, quos pace quietos
Exciuit bellum, belliq. insana Cupido.
Talibus accendit dictis animos. prior Halis
Concilium raptim subitum iubet esse uocandum,
De summaq. rei tractandum. protinus ipsi

Bassæ

Bassæ, omnes belliq. Duces subsellia complent.
Vt conuenere, & fandi data copia, tetram
Cæsariem est quassans Halis sic ore locutus.
Me quoniam pugnæ ductorem cernitis omnes,
Incumbuntq. mihi totius pondera belli;
Et decet, & possum, quæ sit sententia, uobis
Euentusq. simul uarios exponere paucis;
Me dudum ante alios unum delegit honoris
Optantes sceptrum Rex, nostro more trophæum
Vt partum templo Maumethis poneret alto.
Nec subeunt cineres uiolati cæde paterni,
Dum petit assiduus Cyprum, uigilatq. futuro
Bellorum euentu; nullam dat cura quietem:
Horrescitq. fouens spinosos corde furores.
Per uetitumq. ruit, nec damna instantia cernit.
Mittimur ad pugnam, neu quis fera bella recuset,
Nunc precibus, nunc usq. minis regaliter instat.
Præmia nostrorum quænam speranda laborum?
Vulneribus mortes extremis insuper addet,
Si uicti in patrios properauimus ire recessus.
Vrget utrinq. timor pauidos: si Marte per altum
Aequo excurrendum; duram per uulnera mortem
Experiamur; erit qui nostras hostis in arces
Irruat, & pœnas illius sanguine sumat.
Sin pauidam classem portu, claustroue tuemur
Hellespontiaco; spoliis elatus opimis,
Non manibus tetris telo non parcet iniquo
Quin omnes perdat, cæsosq. immittat Auerno.
Ergo mittendus, doceat qui singula Regem,
Admis-

Admissos classi Hispanos, Melitenq. trophæis
Insignem, iuuenumq. timenda examina Roma
Ad classem missos; Venetis & puppibus omnem
Italiæ florem impositum: fremit Adria, uulnus
Nil timet exceptum; Vis magno innata dolore est.
Assensere omnes; mittunt, qui singula Regi
Perferat: ille uelut rupes, quam flamina sæui
Solicitant Boreæ; aut scopulus, quem uerberat unda
Hinc, atq. hinc, nulla & persistens parte mouetur.
Vix dictis aures; uix dat responsa furore
Percitus, & pleno spumas uomit ore cruentas;
Corde gemit, tacitumq. ulcus sub pectore condit.
Deinde iubet, pugnent, obeantq. pericula Martis;
Leucadios ante ad portus deducere classem
Si fuerit uisum, adducant, quo maximus hostem
Inuadat pauor, ut uenientes senserit hostes.
Quod post quam auditū Naupacti, magnus in urbe
Increuit mæror. medio Caracosa tumultu
Insurgit maior perfert res Fama minores,
Præcedit rumor, falsaq. insania linguæ
Addit, quæ quondam tacitasq. fefellit Amyclas
Maius & allatum, quam quod præstare iuuentus
Italiæ possit: doceo fiducia cæptis
Quæ sit: si iunctis inopinos classibus hostes
Aggrediemur; erit pelago speranda rubenti
Sanguine nulla salus proprio: quin dextra pauore
Pulsa graui mediis deponet tela carinis,
Aut uictis duplici stringemus uincla cathena.
Tutata est dudum portu Messana pauentes;

Quis nescit dubioq. loco tenuisse triremes,
Cum uagus Ionios intraui classe recessus,
Adriaq. accensos agnouit puppibus ignes?
Nunc quoniam pugnare datum, fugiemus in altos
Aemoniæ lucos? classem patiemur inanem
Hostili toties tentatam robore frustra
Christicolis prædam esse? immo hinc cessisse putemus
Nobis esse decus, quod nulla oblitteret ætas,
Inuasisse hostem, subitum incussisse timorem
Vix nos credenti pugnæ dare signa futuræ.
Hoc magnum: Regum adscribendum annalibus: quo
Non ullo seclis periturum: fortia Regis
Iussa mari ratibus tuto peragamus ouantes;
Nec nos uictores iam uictus terreat hostis,
Non Veneti imbelles, erepta & pace dolentes,
Non quos Roma aluit, non quos Hispania misit
E stabulis ouium raptos, qui bella tremiscunt,
Nec telum dextra, clypeumue tenere sinistra
Nouerunt, densos uel se se mittere in hostes.
His cum pugnandum, quos belli gloria nusquam
Reddidit insignes, uirtus spectanda periclis
Nec mouit tutæ contentos munere pacis.
Ergo alacres animis portus linquamus, & alta
Quo iussum iussas rapiamus in æquora naues.
Nō procul est Leucas, nostra est quæ interiacet unda,
Aspirant Zephyri, & cursum dant uela secundum.
Sic ait, & puppem primus conscendit. at Halis
Cui totum imperium commissum classis agebat
Pectore singultus, crescebat totus in iras

Iam

Iam dudum sceptri, uitæ, lucisq. perosus.
Hasq. gemens mæstas effudit pectore uoces.
Quo trahimur socii? certam Fortuna minatur
Mortem, nec desit certis fiducia rebus:
Vnum est, quod doleo; coniux; immensa uoluptas
Et nati ferro, uel iussa morte peribunt,
Immeritoq. luent meritas non sanguine pœnas.
Hoc a me capient munus; sunt grata labori hæc
Præmia danda meo, quoniam pro Rege, meoq.
Occumbam domino: uos hæc uidisse pigebit
Olim, si dabitur patrias inuisere terras.
Dicentis uultus lacrymis oppletur obortis,
Inq. sinus sensim fletus cecidere recentes.
Continuo totis discurritur undiq. portis;
Fit strepitus portu ipso, discessusq. paratur.
Nauibus imponunt peditem, tormenta reuisunt
Abiecta, & subigunt raptas in cote secures.
Arte laboratos suspendit puppibus ignes
Ocyalus; iuxtaq. ferox Caracossa timenti
Euentum pugnæ Hali suadet, fræna capessat
Martia, nec subito deponat tela pauore.
Maumethes instat, lateri Siroccus inhæret
Proponens pugnam, belliq. Cupidine mentes
Excitat, & pauidas permulcet pectore curas.
Bassæ, & Sanzachii, quæ sit sententia cunctis
Exponunt, Hali potius parere parati,
Quàm mortem Ionio fugientem quærere ponto.
Regis iussa urgent; classis ducenda per altum,
Nam prohibent portu; ratium proponitur ordo:

 Vt

Vt læuum cornu pelago Caracossa teneret,
Dextrum Siroccus: medius stat Parthaus, Halis
Quem sumpsit bello comitem, sociumq. laborum.
Maumethes classem præcedit fortibus armis:
Ocyalus ratibus pugnantum terga tuetur:
Qualis Luna suus sensim cum deficit orbis
Cornibus insignita nothi splendoris Olympum
Munere percurrit: scintillant sidera, at illa
Lustrat nocturna stellatum lampade cœlum.
Talis Naupacto processit classis, iterq.
Susceptum capiens spumas salis ære secabat.
Incumbunt Zephyri, conflataq. carbasa robur
Vi rapiunt per salsa cauum uada: quin gemit æquor
Remorum impulsu, fluctu totumq. mouetur.
Forte leues currus raptabat in æquora Nereus
Oceano properans, cui forma senilis adumbrat
Hirsutum pectus, uiridiq. uligine malas:
Barba madet fluctu, salsaq. aspergine nato
Colla uirent musco, præfulgent murice tincta
Bracbia, tota latent immensum crura sub æquor.
Cui post quàm uisa naues (namq. omnia norat)
Delphinum molles confestim flexit habenas.
Tum primum Parthi uiderunt lumine Diuos
Inuiti certo, amotis ambagibus: utq.
Excepere Dei sermones, pectora cunctis
Visa pauore rapi iam ad certos morte triumphos.
Constitit ille inter, rupitq. silentia dictis.
Ceu stabulis teneræ ut fremitus hausere capellæ,
Raptorisq. Lupi furias, stant auribus usq.

Arrectis

Arrectis, si forte domos, expugnet, & omnes
Extemplo potiatur opes: timor omnia uersat.
Tota nouo aspectu classisq. exponit: at ille
Soluit adhuc, dicens, fatorum arcana latentum.
Ipse ego, cum traheret deceptam perfidus hospes
Idæis Helenem ratibus, cecinisse recordor
Non procul hinc Diuos, & fata minantia Teucris.
Nunc idem uenio, quo nunc horrenda Deorum
Fata canam monitu: caueat, qui Pergama sceptro
Adiunxit proprio, quoniam mittetur Achilles
Alter in Iliacos cineres, & Græcia nuper
Debellata domos Phrygias euertet, eritq.
Post hiemes certas, quando Dux missus Ibero
Milite coniunctas acies, & robora pubis
Duxerit, & Thracas uexauerit ense superbos.
Primum Threiciæ classes, & Pontica uirtus
Procumbet. fatale æquor, quod perfida fuso
Barbaries toties infecit sanguine: uicta
Nec procul Actiacis Aegyptus traditur undis.
Atq. etiam maiora instabunt damna Phrygumq.
Post cineres cinis insurget modo maior; & alto
Fracta mari classis fundo mittetur; ut undam
Strans stygiam uictos traducat ad atria Ditis;
(Inde redisse datum nulli) pœnasq. luetis,
Infida quoniam rupistis fœdera dextra.
Dicens occuluit caput, & se se obruit ipsis
Pronus aquis: illi cupidi cognoscere causam
Hærent luminibus fixis, speciemq. Deiq.
Verba horrent: primus fugientem uoce precatur

Halis; surda tamen iactatis numina uerbis
Nil adhibent mentis, precibusue mouentur, at ipsas
Discerpunt uanis mistas sermonibus auræ.
Conditur ille mari; spumisq. albentibus æquor
Turbatur. tanto classis tota omine mæret,
Quæsitumq. cupit pelago dimittere bellum,
Quæsitasq. pauet pugnas: furit impia toto
Pectore uis, spiratq. nouos è corde dolores.
Qualis ubi agnouit charæ uelamina Tisbes
Pyramus infelix calido distincta cruore,
Ingemuit, tremuere graui præcordia flamma;
Totus & ardescens insurgit totus in iras,
Immitemq. feram iam sumpto perdere ferro
Optat; & ultrices stimulos Rhamnusia subdit,
Nec datur immensum attenuare quiete dolorem,
Causa mali quoniam penitus latet abdita syluis.
Vel qualis medio ut raptam grege Capra capellam
Persensit, uacuas implet mugitibus auras,
Et queritur frustra, querulis & prata fatigat
Mæsta modis frustra quærens uestigia natæ;
Raptoremq. petit, si uidit, cornibus; iræ
Increscunt, rabidasq. addunt sub pectora curas.
Talis tum decuit mæror, talisq. cucurrit
Ossa per egelidus sudor, subitusq. pauentem
Oppressit classem fletus, lacrymæq. per ora
Fluxere, & toto gemuerunt robora ponto.
Agnouere Dei uultus, & fata cadenti
Aduersa imperio, quin Regum colla paratis
Fortia magnorum certò fore uincta cathenis.

Ante oculos ſtabat ſpecies miſeranda Selini
(Vt fit) uelantis uiridi ſua tempora Lauro,
Elati Veneris ſpoliis; Salamine potitus
Dum geſtit, certas claſsiq. immittit habenas.
Iamq. rubebat equis Phœbus, iam ſidera cœlo
Cedebant pariter, roſeisq. inuecta quadrigis
Aurora aſſuetam reddebat lampada terris;
Puppesq. æquatis uerrebant æquora tonſis.
Interea Auſtriacus, iuxtaq. Venerius heros,
Romulidum pubes, Venetumq. immenſa uoluptas
Barbadicus, claſſes Zephyris felicibus actas
Aequore luſtrabant læti, portusq. ſubibant.
Dulychios: puppes tutæ uertuntur arenæ,
Anchoraq. inſanos fluctus deiecta fatigat.
Conſilium ducibus confeſtim, ut moris, initur,
Inuadantne hoſtem, num hoſtilia tela morentur
Miſſa prius, propiusq. ſinant accedere, feſſos
Vt facile aggrediantur; ineſt ſententia cunctis
Pugnare, & facibus quaſſare ardentibus hoſtes.
Conuenere Duces, tenuere ſilentia cuncti.
Auſtriacus fatur; mi ratur uerba Senatus
Conſilio deprompta graui, uiridiq. iuuenta.
Huc quoniam dudum tuti conuenimus omnes
His dictis adhibete aures, animosq. propinquis
Hoſtibus inuictos palmæ ſpe paſcite certa.
Vnum eſt, aut pax ſit bello ſperanda peracto;
Ergo hic pugnandum: aut infecto: pariete tecti,
Et patrio cohibere ſolo ſine uiribus hoſtem
(Nec pudet) audentem externasq. inuadere terras.

Pacem pugna offert, bellum dant ocia: nostis
Cum Messana rates tenuit, queis Adria flammis
Exarsit totus; quæ passim incendia uestras
Vastauere domos: sunt hæc simulacra malorum
Vera futurorum, ni dextra explebimus ensem
Sanguine barbarico, partis spoliisq. superbum
Dixerat: at soluit sic ora Venerius heros.
Si libet, ut libet Ionio decernere ponto:
Sunt aliæ naues; sunt, quas Bragadinus ad ipsam
Adiunget classem longas: discrimina belli
Nunc obeunda forent, tota hic si classis adesset:
Sed quoniam sumus hic; simus: nam pugna ruinas
Intempestiua immensas fert: sæpe cruentis
Ensibus accepta palma Fortuna recedit.
Exitus incertus bellorum: protinus hora
Libertatem aufert, tot iam labentibus annis
Tutam, millenis quæ non reparanda carinis.
Exercere mari duri certamina Martis
Stat; sed iungamus iungendas ante triremes,
Vt dextra liceat certam prætendere palmam.
Sic fatus, lateri telum, thoraca senili
Pectori & aptabat, tanquam si diceret, ecce
Si pugnas obiisse placet, non tela tremisco
Barbara, nec duram tormenta minantia mortem.
Expono uitam; quid uita charius? ipsam
Pro patria exposuisse iuuat; per uulnera, perq.
Parthorum densas acies occumbere gratum.
Martius atq. heros, ratibus cui præesse Latinis
Roma dedit, tales emisit pectore uoces.

Nunc quoniam ambiguo luctamur tramite, nullum
Extat iter certum, incerto res fluctuat æstu.
Si nunc pugnandum censetis, pugna labore
Sustentata graui non æquis uiribus hosti
Sitne datura rates quis nouit milite caso?
Sæpius erudiunt aliena pericula cautos.
Forte Ludouici subit haud laudanda uoluptas
Pugnæ, nec defuit: ceciderunt Pannones armis
Abiectis; Dux ipse lacu moriundus inhæsit.
Quid referam domitas gentes, quid regna sub ipsum
Ducta iugum? domitos bellis Garamantas, & Indos?
Quid Pompeianas acies, quid Cæsaris artem,
Dum timet ille, ferox hic crebro Marte minatur?
Nostis, quid peditem sit campo educere aperto,
Hostiles tentare acies: quæ prælia uictis
Damna ferant nostis: quanquam Mars ipse futuram
Despondit palmam; nunquam tempusue, locumue
Edocuit: iunctis subeamus classibus ipsum
Discrimen belli: ratibus Bragadinus adesse
Creditur; & scimus uenturum, bella moremur
Intempestiua: en dubiis Fortuna triumphis
Insistit, nulli prætendens signa futuræ
Laudis, & erectas hominum tenet ardua mentes;
Quodq. aufert modo, sponte dabit, certasq. trophæis
Intexet partis composito flore corollas.
Vix ea finierat: subitum subsellia murmur
Peruasit, magnoq. assensu uerba Senatus
Laudata admisit: qualem de fonte Timauum
Emissum, salsis certantem & fluctibus æquor

 Accipit

Accipit; ille furens prærupto murmure montes
Deserit, æquoreas quo se intermisceat undas:
Vt posuit uires, labuntur flumina uenas
Per tacitas, tacitoq. relabitur unda meatu.
Astabant Melites equites, dictisq. petebant,
Vt possent propriis percurrere classibus altum,
Turcigenum spoliare rates, si forte per æquor
Errassent paucæ, & uitam miscere periclis:
Vndiq. currentes Regum uexare Celoces,
Nauibus Ioniumq. infestum reddere totum.
Sed contra proceres instabant undiq. classem
Ferre pedem, celerare uiam, discurrere marmor
Hostilem, tutas uix naues portubus esse.
Quos inter uocum sensim crescente tumultu
Barbadicus subito fertur sic ore locutus.
Quid dicam o socii? quæ nunc exordia sumam
Rebus, ut ardentes animos in prælia, bello
Deterrere queam, sumptumq. reponere ferrum?
Venimus huc rapti uesano Martis amore,
Venimus ad pugnam, sed nusquam pugna, sed oci
Torpentis species, non duri Martis imago.
Hortamur bellum, subeunda pericula belli
Temnimus, hic bellum (si fas) fugisse uidemur.
Cur alias acies, cur naues, robora, pubem
Expectemus? adest Dux, cui commissa potestas
Est rerum; uenere rates, stant fœdere iunctæ
Classes Ionio, circumstat Parthica uirtus.
Huc uenisse placet, sed causam nolle uidemur.
Nosse, nec insignes cursu petiisse triumphos.

Nos

Nos oblectat licnos, ueri discrimina honoris
Nulla iuuant: iuuat ire mari: spectandus in alto
Classis amor tollit mentes: tamen ocia passim
Sectamur: sensim mollescunt pectora. ferro
Assueta insurgit pubes; petit æquora posse;
Hostilesq. sinus penetrare, atq. ultima Thracum
Regna, uel Eoos ratibus descendere ad Indos;
Nec datur: immissa torpent rubigine tela.
Quid facimus portu, pelago si Parthus aperto
Dispositas acies ducit? quid prælia, cædes
Horremus pauidi; si ad bellum uenimus? hærent
Liminibus tuti, qui bellum fœdere rupto
Exciuere; ruunt Cypria qui tempora Myrto
Ornarunt spoliis insignes, sanguine fratrum
Insignes, captis insignes urbibus: omnes
Pugnæ auidi; quoniam mortis subiisse periclum
Nullum horrent, horrent Regis mandata iubentis
Prælia obire, grauis spernunt incommoda belli.
Lædentes rapiunt, quod ui rapuisse nec ipsi
Possent, ni nos hic pressos Fortuna teneret
Horrore, & uanis uoluentes somnia rebus;
Læsi pollicita tentemus pace ruentes
Solicitare hostes, ne nos, patriamue cadentem
Perdant: credetis uos hæc æterna futura
Fœdera? si scirent immo, nec portubus ipsis
Essemus tuti. depellite corde pauoris
Ergo si quid inest, lapsis succurrite rebus.
Neue precor pugnæ uos unquam turbet imago
Inuictos toties, cum ciuica bella uigebant,

Italia & crebris ardebat percita flammis.
Communem uexate hostem, communia tela.
Aptate, & fortes animis concurrite ferro.
Vos ego compello ô socii, uos pectora bello
Inuicta, & claro præfulgens dextra metallo:
Nunc nunc pugnandum, uirtuti præmia danda
Vestræ digna reor, quæ certè fortibus armis
Parta aderunt, uestros ad peruentura nepotes.
Hinc discedamus cuncti, portusq́. uolentes
Linquamus, patriæ squallenti fletibus, orbem
Dum timet hoc domino uictum fore, gaudia demus
Non expectatu, & dubio mærore iacenti
Hæc sint post longos tandem solatia luctus.
Certa manet nostras quoniam Victoria puppes,
Non hic ambigua miscendum prælia palma.
Fœdera perfregit; non hæc curare putatis
Cælicolum Regem, qui luminibus uidet æquis,
Quæcunq; hoc ipso terrarum operamur in orbe?
Inuasit terras alienas, regna iugum sub
Externa extremum tentauit ducere; duxit:
Aggreditur uoti compos maiora minatur
FOrtuna imperiis; est quo sublimior ipse
Parthus, eo est maior, qui stat, telluris hiatus
Vt pressum excipiat, stygiisq́. absorbeat undis.
Plura referre licet, nec pluribus est opus: ecce
Sunt in conspectu nati, sunt patria, coniux,
Regnum, libertas; orbisq́. optata potestas
En iacet ante pedes, squallentia fletibus ora
Irrigat, & iustas precibus iam crescit in iras.

Fortia frondenti cingamus tempora Lauro,
Ad bellum celeremus iter; nec plura locutus
Conscendit cædem spirans, & prælia ad altam
Centauri puppem; socii dehinc ponè sequuntur.
Qualis equus campo uictor, cum forte coronam
Accepit, spatio exultat; miratur utrinq.
Insignes populus palmas, & dona; sed ipse
Mirantis turbæ aspectum fugit ocyor Euris,
Et cursu celeres uelox modo præterit auras,
Et superat saltu positas modo carcere metas.
Talis Barbadicus successu lætus amicis
Affatur socios dictis, tormentaq. duro
Bellica disponit Calybum diducta metallo,
Aemula fulmineis & fulgure, & ictibus, alto
Cum strepitu horrendos cælo uoluentia bombos.
Deinde laboratos exponit puppibus ignes
Sulphureis tectos uenis, & pumice tetro,
Quod raptum stygio dudum tulit amne Megæra.
Nec minus ante alios Quincto satus omnia secum
Voluit, quæ pugna sint forte optanda futura:
Hortatur nautas dictis, & præmia cuiq.
Proponit, donisq. feri discrimina Martis
Attenuat: generosa subit pugnare Cupido:
Pectoribus crescunt uires, furor arma uicissim
Dans, stimulis animatq. uiros, & tela ministrat.
Discurrunt totis præcones nauibus, ore
Indicunt bellum: miles rapit arma, segesq.
Telorum medio consurgit marmore: fluctus
Permoti, timuere Deæ, Panopeaq. uirgo.

Ducuntur

Ducuntur portu naues, ferit aurea clamor
Nauticus astra, fremit totum sub classibus æquor.
Præcurrit uelox remis, & robore tutus.
Ante alios Melites eques, exploratq. locorum
Angustos aditus, discurrit Echinadas alto
Vertice sidereis domibus, pelagoq. minantes,
Claustraq. peruadit, spatiatur remige ponto.
Iamq. procul naues, uix posses credere, fluctu
Aduentare uidet, speculam & conscendit in altam
Lumine perspicuo quid sit cognoscat ut ipse.
Extrema ut mali tetigit pede limina cautus
Quod uidit, nouit; gaudet uidisse; per altum
Nec mora, ad Austriacum defert præuisa Senatum.
Quæ ut nouere Duces, passim mandata feruntur,
Vt galeas, clypeosq. aptent, atq. arma capessant,
Ad pugnamq. parent animos, & pectora bello
Exacuant, quoniam dabitur pugnare facultas,
Crastina ubi Eoo lux se se tollat ab ortu.
Iam nox, atq. aderant tenebræ, iam Phœbus Ibero
Oceani pronos condebat gurgite currus.
Vndiq. dependent Lychni, funalia noctem
Lumine deturbant, piceis & fulta alimentis
Lux fugat immensas noctis uincitq. tenebras.
Tum uisum esse ibi: nocte iubet dux tela tenere
Quemq. sua Austriacus, dapiumq. expellere amorem,
Fortior ut quisq. ad pugnam, pugnæq. tumultus
Consistat uino, atq. epulis bellum ante refectus.
Disponit uigiles circum, ni forte per umbram
Hostes tentarent aditum, subitoq. sepultos

Somno

Somno terrerent: & quæ sunt munera sponte
Solus obit, puppesq. inter certamina Martis
Proponens pedites hortatur corde timorem
Depellant omnem classem patiemur inanem
Ad patrias rediisse domos? fugisse carinas
Parthorum? potius pugnemus fortiter: ecce
Sunt in conspectu, quos nos quæsiuimus undis
Ereptos toties nobis: en dextra, fidesq.
Pollicita en uirtus, belloq. probanda futuro.
Tempus adest, mox mox omnes ad grata uocamur
Prælia tuti armis, & pubis robore: nullum
Intermittendum tempus, sed Lucifer ortu
Creuit ubi Eoo, linquantur Echinades, alto
Pugnandum, & duri miscenda pericula belli.
Hæc ubi dicta dedit, socium comitante caterua
Ad puppem rediit fessus, placidoq. petiuit
Perfusus somno totam per membra quietem.

LIBER TERTIVS.



NTEREA uisus mediis Achelous ab undis
Fronde caput uiridi redimitum tollere, & ora
Talibus e musco uiridanti soluere dictis.
O Dux, magnarum cui nunc exordia rerum
Despondent palmas, quamuis non noueris ante
Me,

Me, quod de sacro decurram uertice Pindi,
Quod primus uenis erupi, ubi sæua quierunt
Aequora, cum totus latuit sub fluctibus orbis.
Me norunt terræ quas undis perfluo, norunt
Quà surgit Phœbus, quà uel deuoluitur: olim
His adhibere fidem dictis potuisse iuuabit:
Vera fero, nec ficta cano. quo Martis in æstu,
Aurora Eois ubi primum lutea bigis
Fulserit implebis fessos sudoribus artus?
Hinc dabitur Parthos, & debellare superbos
Turcigenum populos: perfracta & classe per undas
Hostili uictor spoliis potieris opimis:
Et dabitur domitos iam Thracas cernere ponto,
Direptas & opes, & tela minantia fracta.
Hic labor est, opus hoc, suscepto uincere bello,
Quos toties mærens nouit Germania campo.
Inuictos, gemuitq. ferox sub fluctibus Ister.
Sed licet hostili potiaris deniq. Gaza,
Italiæ flos cæsus aquis per uulnera palmam
Martia felicem pariet: tu classe superstes
Interq. Hispanum, Venetorum & funera clarum
Attolles caput, alto & sidera uertice lambes.
Tales est uoces prompsisse Achelous ab ore
Visus, & ardentem mouisse in prælia Regem:
Ceu piceas fortasse faces delapsa fauilla
Sensim urit, tacitos sumit nec uisa furores;
Sed Boreas circum pennis ut inhorruit, altè
Effundit penitus, crepitantq. incendia uenis
Acta suis, longèq. fragor subit æthera, latè
Effusis

Effusis crescens saeuit Vulcanus habenis.
Non aliter Dux ipse, licet per pectora Virtus
Subiiceret stimulos, generosaq. corda Cupido
Exciret belli, tamen ut praesentia Diuum
Responsa agnouit rebus, subito acrior ipso
Excutitur somno, reputatq. ingentia secum
Dicta Dei, bellumq. ardet, quin pectore pugnas
Concipit insomnis per opaca silentia noctis
Incumbens stratis: totum & certamine Martis
Se se acuit, feramq. fugat per membra quietem.
Vix patitur noctis tenebras, uix praelia differt,
Sopitumq. ciet peditem, uigilumq. caterua
Praecinctus prodit proceres clamore ciendo,
Concilium & ratibus nocturna in lumina cogit.
Attollens oculos caelo dehinc talia fatur;
Nereides almae, uos uos & Echinades alto,
Quae genus ex Achelbi undis, numenq. tenetis;
Este precor faciles: quod si uictoria nobis
Testibus hoc fuerit semel aspicienda periclo,
Carmine uos referam praesentia numina bello,
Et donis celebres statuam florentibus aras.
Talia uoce ferens caeli conuexa tuetur,
Astraq. per tacitos passim labentia cursus.
Hinc uidet armatum Veneri concedere Martem;
Quamuis ille ferox, tamen haec formosa furorem
Conterit, & placido aspectu Mauortia mulcet
Corda: Iouem cernit spectandum sidere, & ipsa
Maiestate, poli claro qui labitur oris
Incessu; cedunt nam signa orientia Regi;

Pax alma immenso ueniens dominabitur orbi.
Sic robur spirans, & cædes, prælia præsens
Exponit ducibus præsentibus, omnia uersat
Dictis, quo possint belli uitare periclum.
Instabant omnes operi; tormentaq. ad altas
Dura trahunt puppes: Calybum sonat undiq. uenis
Fistula rapta, grauiq. insignis fistula bombo,
Inuoluens flammas imitantes fulmina, & atra
Nube trahens subitis ferrum exitiale ruinis.
Dum peragunt, obeuntq. sua omnes munera, tandem
Lucifer ortus equos superum ad conuexa tenebat.
Diffugiunt tenebræ, cœlo nitidissima claro
Incumbit croceis Aurora inuecta quadrigis;
Clarior & solito lux fulsit, nubila nusquam
Apparent; silet aura, Notiq. in marmore ponunt.
Indoluisse putant Phœbo ueniente fugata
Sidera; quin uetita tenuerunt lucida sede
Ora diu, propius suntq. ausa inuisere solem;
(Siquis inest sensus) quo pectore gaudia toto
Perciperent, cirentq. uiros splendore secundo.
Sed quoniam ad bellū properant, mora nulla uidetur
Esse adhibenda rei tantæ: dat tempus, & aufert
Sæpe facultatem belli de more gerendi.
Corpora reffíciunt epulis, animisq. ministrant
Masica dona Duces, peditesq. & grandibus ausis
Depascunt mentes, quæsitaq. prælia poscunt:
Primus inire uiam hic, Martemq. accendere bello
Ardet, & hic medio pugnam tentare loco, uel
Cornua tutari; frontemue exposcere belli.

ux tamen ipse acies auēit, pacemq. ...
Exorat, Geniumq. loci, Diuosq. precatur.
Dii, quorum imperiis externa per æquora uectus
Huc ueni monitus certos, & fata secutus,
Seruate hanc dextram; uel si per uulnera fortis
Occumbam, classi cursus præbete secundos.
Sic fatus tollens oculos ad sidera uotis
Impleuit tacitis cœlum; correptus inhæsit
Et totus precibus superosq. in uota uocauit.
Aptat dehinc auro ardentem, puroq. oricalcho
Loricam, lateri fidumq. accommodat ensem.
Cæsariem ostentans fuluamq. humerosq. decoros
Incedit; sociis dictis ut tela capessant.
Hortatur placidis, pariterq. in bella maniplos
Educit. primum Melites deducere puppes
Anteq. signa nos pelago disponere uisum:
Addidit his Venetum geminas, geminasq. Latinas,
Ne foret ulla locis dandis discordia. cornu
Tutatur dextrum Hispano cum milite fortis
Dorius: a læua Venetis comitantibus altas
Barbadicus sistit puppes, signumq. moratur
Discessus. longæ ducuntur in alta triremes
Aequora quingentis distantes passibus ipsa
A classe, ut bellum fortes, belliq, subirent
Terrores: rapidoq. ut machina mota metallo
Concuteret uires, armataq. pectora ferro.
At parte ex alia tum nil, nisi terror, & arma;
Ipse ferebat enim medio Caracossa tumultu
Nocte fuisse rates inter, numerasse triremes

Christicolum,

Christicolum;paucas numero uidisse carinas,
Exiles,paruis frangendas uiribus: bisq;
Mulcebat dictis animos,pugnamq. ciebat:
Nouerat Ocyalus quàm multo milite classis
Instructa hostilis foret: hæc sub pectore cautus
Seruans extremis latitabat puppibus,aptam
Fors sedem nactus,fuga quo sibi tutior esset.
Pialius peditum turmas hortatur,& instat
Bellum ineant læti:spes non dimittitur ulla
Ambiguæ laudis,quoniam Fortuna secundis
Reddidit aspirans successibus undiq. claros.
Exacuunt rapidos pars enses,pars fera summo
Constituunt tormenta loco,ratibusq. uicissim
Pulueris igniti furias ferrumq. ministrant.
Parthaus,atq.Halis,socio terraq. mariq.
Pialio iuncto,quo non præstantior alter,
Siue feras libuit teretitentare sagitta,
Seu decuit sæuo iratum imbuere arma ueneno,
Et pelago uexare rates,uetitumq. per omne
Irruere,& dubiis incurrere partibus oras:
Quanquam cognorant discrimen ubiq. futurum
Quod foret,ipsa tamen Regis mandata per altam
Voluebant mentem; quos inter Parthaus infit.
Hali,magnarum cui pendent pondera rerum
Ex humeris,incumbit onus cui classis,& omne
Imperium maris,hic dubio quid bella moramur
Sæua loco?stat si ferro decernere,quid non
Prælia miscemus,duriq:incommoda Martis?
Sin pugnæ uitanda lues,pugnæq pauores,

Intremus portus tutos, munitaq. claustra,
Frustremurq. hostes, quiq. inter Echinadas actas
Continuere rates, durataq. robora fluctu.
Quod licet ipse uetet Rex mox sperare, nec ausim
Ipse tibi dictis pariter proponere cunctas;
Attamen hoc unum propono: corda tumultu
Sueta exponamus terrore carentia mortis.
Est nusquam speranda salus, ni dextra per hostes
Nostra uiam inueniat; saltem quaesita profundo
Gloria nos maneat, si fors stat frontibus ipsa
Mors praescripta suis; maculis infecimus aequor
Distinctum (nostis) toties hostilibus ecce
Materies laudis surgit noua, crescit & ardens
Puga mari, crescuntq. animis discordibus irae,
Omnia perlustrat toruo Rhamnusia uultu.
Cur exhorremus bellum, turbamur ab alta
Si pace, & dubiis agitamur in usq. periclis?
Si taedet lucis: semel est occumbere cunctis
Praescriptum: uitae sin nos candorq. salusq.
Delectant; classem Venetis tradamus, & ipsi
Nosmet quaesita tutemur pace; quid ergo?
Instabunt hostes rostris: iam classica forsan
Insonuere modis animos terrentia miris.
Forsitan ire parant, portuq. erumpere, & arctas
Classe ruunt pelagi fauces, Achelous amaris
Qua miscetur aquis, & lambit Echinadas undis.
Tunc feres classem conciso milite passim
Abduci, atq. ante hic, quam bellum indixeris, ensis
Vrgentis trepidare metu peditemq. Ducemq.?

Sumant arma Duces, socios utq. arma capessant
Hortentur, subeantq. feri discrimina belli.
Tuq. obeunda tibi (decet & te) munera sponte
Solus obi, variaq. uices, Martemq. fatiga:
Corripe sæpe moras, naues discurre, Ducis nam
Ora mouent, reuocantq. suas in pectora uires.
Indue & arma libens, belliq. insignia puppes
Nota iube tollant. Dii nostra incœpta secundent,
Maumethesq. polo præsens despectet ab alto.
Sic fatus; curis animos ingentibus ægros
Pauit spe dubia, pauidum excussitq. timorem.
Pialius contra lacrymis sic fatur obortis.
Tot laudes, tot parta mari, terrisq. trophæa
Si numerem; numerare datur uix nouit & Halis,
Quem socium optaui bello, quem pace sodalem.
Si pedite Eubœam forti tentauimus, unda
Cessit in Euboica uirtus, Latiumq. superstes
vix pelago effugit, latebris tutumq. resedit.
Non debellatos referam si Pannonas, actos
Subq. iugum fortes pro libertate Pelasgos,
Hæc fuerit numerasse modus: quam uulnera laudem
Nostra diu peperere iacet, ni classis in altum
Prorumpat, Venetumq. rates, Hispanaq. pubis
Robora, coniectisq. Remigenus obruat armis.
Audite ò socii, mentemq. aduertite dictis.
Tot miseret ratium, pudet atq. ad prælia sicce
Florentem peditem castris emittere apertis.
Res astu tractanda nouo: pugnemus, & omnes
Bella subire aueant pariter, medioq. tumultu

Brachia

Brachia distentis subito naualia cingant
Cornibus hostiles acies, non ulla fugæ sit
Turbatis uia: nam hostis dum nos fronte tuetur,
Indefensa cadent subiecta terga triremi.
Non pugnæ quisquam studio postrema tenebit
Castra, ruent medii: retro spirabimus ignes,
Conciso & raptim potiemur milite Gaza.
Hoc nostri fecere Duces; fecisse minores
Nos iuuet hoc seros; quoniam Victoria parta
Si fuerit bello, poterunt meminisse nepotes,
Et fastis posuisse diem, quo Parthica uirtus
Insignis palma, & spoliis turbauit opimas
Sanguineis undas maculis, qua Græcia latos
Tollit aquis humeros fœdandos sanguine, & armis.
Inuictæ o bello dextræ, uirtutis imago,
Progenies Regum, Scythicaq. è gente propago,
Vos manet hæc belli præsentis gloria; ferro
Palantes hostes inuadite, castra propinquo
Expugnate mari, trepidosq. immittite fluctu.
Non uos aspectus belli perterreat ardens,
Non Nereus, non uanarum insomnia rerum,
Quæq. animos uexare solent, & sede mouere
Sæpe sua, atque oculis tenebras offundere inanes,
Sat patuit pelagus Venetis, satq. hactenus itum
Tyrrhænum, Ioniumq. externa classe per altum.
Hesperia en uires socias extrema moranti
Adiunxit classi; sed mox fugitura, cadenti
Imperio nec opem iunctis latura carinis.
Romulidæ uenere: furit telo impia sumpto
Turba

Turba;ubi uel uicit,uincatur:sors fera uersat
Res hominum: Actiaco partum decus æquore obũbret
Mox clades uentura;nouo gemat Allia luctu,
Singultu & ueteres recolant Capitolia fletus;
Mæreat extincto sedes Romana Quirino.
Classe bonis auibus pugnam subeamus, iniquos
Et strepitus belli,Martemq.feramus,& arma.
Dixerat:interea iussu Iouis Aeolus arctis
Emittit claustris uentos.Venus ipsa putatur
Exorasse patrem, flexisse & numina dictis,
Cum timuit classes educere portubus Halis;
Cunctando uerita hæc tot ne euasisse pericla
Turcigenæ possent.currus Acheronta sub imum
Deinde egit,furiis ardentem,Hydrosq. Megæram
Gestantem affatur subito Dea talibus orsis.
Vade age Bistonias puppes,interq. Scytharum
Agmina,rostratis findunt qua classibus æquor:
Subde graues stimulos,cæptis furialibus ipsa
Adde animos,misceq. nouos per corda furores.
Iussa Deæ peragit Dea:crinibus atq. colubros
Impexos seruat diris, uetitamq. supernè
Inuisit lucem,frendensq. excessit Auerno.
Forte Halis, pariter Nauarchi,& Parthaus unũ in
Conuenere locum,quo tum tractanda foret res
Summa:an pugnandum , ratibusue hyberna petenda
Intempestiuo quanquam fore tempore norant.
Ipsa statim faciem Solimani induta,uiriles
Veste mouens gressus,solito Regisq́. decore
Effictas ornata comas diademate sacro

Ingreditur, bellum suadet, simul increpat ipsas
Sæpe moras dictis. quid frustra hic bella moramur,
Acceptam & Cyprio frustramur littore palmam?
Exciui en bellum, quo non felicius ullum;
Imperio accessit Cyprus, latitantq. per altos
Italiæ portus hostes, gemit Adria, plorat
Illyris ora suas (licet & plorasse) ruinas.
Carnia mæsta iacet, quoniam uentura perhorret
Robora barbaricæ pubis; dimittite classem
Ne precor hostilem, si aderit; scio, namq. futuram
Hic: pugnate uiri patria pro, coniuge, natis;
Et uitam æterna placeat pro laude pacisci.
Sic affata pedem qua admisit, rettulit. omnes
Inuasit gelidus sudor gelidusq́. cucurrit
Ossa per ima tremor, perculsi & corda pauore
Ingemuere. Deam sequitur Caracossa, tenetq.
Iam uultum Regis mutantem, atq. ora mouentem.
Tum raptum in pectus coniecit fortiter Hydrum
Nocte sata, & subitas exciuit pectore flammas;
Ardentemq. ira, & cunctantem deserit. ipse
Interea certis proponit prælia dictis,
Ardescitq. furens totus; quin tegmina sæuo
Imponit capiti, clypeumq. ensemq. decorum
Aptat. Pialius tamen, atq. ipse hæsitat Halis
Bella pauens, pacis cupidus, cupidusq́. quietis.
Et licet instaret medio Caracossa tumultu,
Dux tamen in tutos deducere robora portus,
Nec dubiam tentare fidem Martisue, marisue;
Cum subito adductis inflauit carbasa uentis

Aeolus

Aeolus,& dubias raptauit in æquora puppes:
Ne bello infecto pugnæ discrimina classis
Pontica uitaret; sæuiue incommoda belli;
Neu decus Hispanum, Italiæ flos classe Latina
Incassum Ionios tentasſent remige fluctus.
Tum Dux Austriacus rostris in prælia dudum
Dispositis ponto incedebat. nautica uirtus
Incumbit remis campos salis undiq. uerrens:
Cum procul Odrysiæ classes, cum apparuit alto
Hostis,& usq. Notis albentia uela secundis.
Exoritur clamorq. uirum, clangorq. tubarum,
Aereaq. argutos effundit tibia cantus.
Ceu campos, dum sæuit hyems, Lupus ipse peragrat;
Dat signum pastor: latitat per rura canumq.
Excubias horret: rapida at fame percitus altos
Inuadens ouium cuneos irrumpit;& audet
Dentibus infrendens pecoris custodibus usq.
Obstare,& summo pugnam uersare periclo.
Talis erat classis, quæ post quàm hostilia mouit
Aera canens, ueloq. aduenit pulsa secundo,
Horrendum sonuit pontus, facilesq. per undam
Spumosam remi ingemuerunt Marte propinquo.
Dux unus lembo tum circumuectus eburno
Austriacus dextra quassans Iouis Aegida, fatur,
Discurritq. animatq. uiros, & prælia crebris
Attenuat dictis. en nostræ pignora laudis,
En uentura quies bello quærenda peracto:
Palmæ honor,& certi notescunt signa triumphi.
En clypeus summi Regis, quem tela tremiscant

Barbara; non mortale opus hoc, dedit aurea cælo
Delatum Venus ò socii, & concesfit habendum
Hoc mihi dum geritur bellum, dum Cypria uirtus
Pressa malo ingenti respirat, palmaq. dum nos
Hæc manet, & pugnam ratibus sectamur ouantes.
Iam dictis adhibete fidem, iam pectora ferro
Armata extremum in bellum proponite quæso;
Non ego Dux, socius; uestrorum quiq. laborum
Præmia digna feram: certis ornate trophæis
Libera corda metu, non ulla optanda fugæ sit
Spes; hic pugnandum. sint cordi patria tellus
Tuta futura manu uestra; sint coniuge iuncta
Oscula natorum, iustisq. referta querelis
Ora patrum; & fuluo Libertas gratior auro.
Cum seruis gerimus bellum, queis nulla uoluptas
Maior, seruicio quàm pressos cernere eodem
Nos. ceruice iugum durum depellite; corda
Libera pro patria æternùm expofuisse iuuabit.
Credidit en nobis propriam Romana salutem
Curia; ne superos frustremur uoce uocatos
In uota: en bellum proponit tempus, & ipsa
Pugnandi cupidis aspirat copia pugnæ.
Quod dudum exoptastis adest; decernere ferro
Stat, flammis pelagoq. hostilem incendere classem.
Ne furias belli timeatis, neue tumultus
Vos terrere queant; scitis quæ munera uobis
Incumbant; nostis quàm multa incendia uestris
Creuere in terris, cum clasfis nulla propinqua
Littora tutata est, Siculo pene abdita portu.

Tum

Tum iuuit cupidas mouisse in bella cohortes,
Nunc iuuet instanti pugna committere bellum,
Effœtasq. minas, laudataq. tela trophæis
(Si fas, si superis uisum) contundere, & atro
Sanguine consperfos cæco detrudere Auerno.
Plura locuturus fuerat, non plurima auenti
Posse loqui tum plura datum. iam Pontica rostra
Vrgebant Melites equites. tormenta superbis
Mox discussa polum bombis, atq. astra ciebant.
Hoc ubi Dux nouit, puppem conscendit, & ipsos
Quos bello elegit comites hortatur, & instat,
Ne spem conceptam fallant, subeantue futuræ
Extremos aditus laudis: quin arma capessant,
Arma uiam inueniant, palmam qua gloria primam
Despondens animatq. uiros, rapidasq. triremes.
O toties bellis insignia clara sequuti
Patris, & insignes Aquilis nigrantibus Austros,
Austriaci unde omnes, insigne unde Austria creuit.
En promissa olim consurgit deniq. laudis
Culta seges, laudum crescatq. arrecta Cupido:
Itala ne superet pubes, uirtusue Latina;
Vos decet ante alios telis insurgere, dextra
Sternere barbaricas acies, castrisq. potiri.
Vix fatus galeam attollit ceruice, decorumq.
Ensem aptat lateri, ferro pugnamq. moratur.
Interea Melite quos misit, uiribus astant
Arrectiq. animis cædes, incendia uoluunt.
Nec cessant Venetæ, mortisq. pericula uersant,
Pars manibus duro torquens hastilia ferro

Per remos, per transtra ruit, penitusq. cadentes
Turcigenas pelago puppi detrudit ab alta;
Pars facili dextra tormenta minora ministrat,
Inuaditq. hostem, & tepido uada salsa cruore
Turpat, & Ionios gaudet penetrasse recessus.
Exultat bello feruens Romana iuuentus;
Anteq. signani dubiis successibus intrant
Hostilem classem medii: ruit undiq. supra
Telorum seges, & iaculis increscit acutis.
Ceu quando grauidæ rapiuntur in æthera nubes,
Insudantq. Noti madidis per nubila pennis.
Verberat imber humum, segetum calcantur acerui,
Discussaq. iacent messes, fallitq. dolentes
Agricolas spes pressa malo, calamisq. refractis:
Talis erat pugnæ aspectus: tum protinus omnes
Adcurrunt circum, cinctasq. ex ordine naues
Immissis urgent rostris telisq. fatigant.
Adq. unum cæsi cuncti, ratibusq. potiti
Hostes successu gaudent, maiora studentq.
Moliri, & subitos accendere puppibus ignes.
Interea longæ subeunt discrimina belli
Crescentis naues; Turcæ uenientibus obstant;
Terribili explodunt Veneti tormenta boatu,
Obstantesq. terunt: cadit ingens pulsa profundo
Congeries ratium, & remorum; insultat ab imis
Aequor aquis; gemuere undæ, totusq. resedit
Pontus. dant aditus hostes: stat machina bello
Firmata, & Calybum geminat detracta caminis
Dona, ferens rapidis incendia mista ruinis.

Hinc cadit antenna emisso correpta metallo,
Infracti & remis uoluuntur gurgite remi;
Hinc arcus, calami; tela hinc trepidantia salsis
Corripiuntur aquis: quin arma, uiriq. ratesq.
Discurrunt pelago, quas pugna insana Cupido,
Et furiis actas egit Rhamnusia bello.
Horrendum crepitant puppes, flammisq. perustæ
Dant piceis alimenta rogis; ruit undiq. dira
Armorum seges, & subitis micat ignibus æquor:
Interfusa nitent mediis tormenta carinis,
Perfractosq. terunt malos, & robora toto
Pertractata mari; dum Pax fuit aurea terris,
Nec Mars aspectu toruo perterruit orbem;
Seu libuit Mauros inuisere, siue Britannos,
Vltima uel pelago qua tollit cornua Thule;
Classis tuta fuit, tutæ rediere triremes;
Non Pirata mari tenuit, fessasue latentes
In latebras traxit, florebant ocia passim;
Ocia erant undis, solida sic ocia terra;
Ast ubi sæuitum est: pelagus compleuit apertum
Rostrorum sylua, & desæuiit æquore Pistris.
Interea læuo cornu duo fulmina belli
Ambo præstantes Bragadini, corpora ferro
Barbara dilacerant, inuisosq. ignibus hostes
Deterrent; resonat geminatis ignibus æther.
Siroccus quamuis instet, tamen urget utrinq.
Et pauor, & pugnæ trepidum crescentis imago.
Stat circum pauidus miles, uix tela tenet, uix
Exercet dextram: calamiq. & letifer arcus

Diſſecto neruo mærent. ille inter opaca
Detectus galea ſocios compellat, & ardet
Pugnandi ſtudio: quæ nunc ò prælia adiſtis
Turcigenum proles partis præclara trophæis?
Num Venetum imbelles turmas horretis, Iberam
Aut aciem ferri, pacis cupidosue Latinos?
Nec meminiſſe pudet deuictos Pannonas, ipſis
Pannoniæ campis? ueſtro uos æquore pellet
Hoſtis, ut hærentes terris in funera damnet?
Ne precor, hanc labem ueſtris admittite dextris,
Has cohibete rates, uanos cohibete furores.
Talia dicta dabat, ſubito cum malus ab ictu
Increpuit, teretes ſubtus gemuere rudentes:
Non aliter timuit Dux, quàm, qui, dum ſonat æther
Adductis crepitans nimbis, in tegmina feſſus
Incumbit fagi pluuia detentus iniqua:
Pulſa micant paſsim cœlo per nubila flammæ,
Fulmina & acta cadunt; ſi fagus forte gemiſcit
De cœlo tacta, inſtantem nempe omnia mortem
Fulgura inhorrenti ſubito intentare uidentur.
Sic GRImane Heros, Diuum genus, inclyta ſecli
Lux; Aquileia olim timuit tua; maxima quando
Arx decus illa tuum de cœlo tacta repentè
Contremuit, ueteresq́. urbis tremuere ruinæ.
Talis Siroccus præſentia funera cæpit
Præſagire animis, duramq́. in uulnera mortem.
Sed timor in rabiem paulum mutatus adegit.
Arma amens poſcit, galeamq́. & comminus audet
Ire uiris, trepidæq́ furens ſuccedere pugnæ.

Nec

Nec minùs ardeſcunt Veneti, iunctoq. Canali
Barbadicus, pugnamq. offert, occurrit & obſtat.
Sternuntur pelago puppes, ruit undiq. pubes
Parthica; procumbit uirtus inuicta, diu quam
Heſperiæ timuere; iacent deiecta profundo
Hinc capita; hinc tepidi maculata in corpora fluctus
Infecto uarios ponto ſumpſere colores.
Incumbit Maurus iaculis, Parthusq̃. pharetra
Mille rapit calamos, & tela ſonantia mittit;
Hos Dux Maumethes prò caſtris fortiter ante-
Signanos tenuit primum; aſt ubi ſenſit adeſſe
Chriſticolum claſsem Zephyris renuentibus actam,
Deduxiſse loco uiſum eſt; ſociosq̃. ſequutos
Dextro conſtituit cornu, Martemq̃. fefellit.
Hic tamen accendit dictis peditemq̃. uolentem
Admittit pugnæ, dehinc bella nouata reuiſit.
Barbadicus, poſt quam pugnæ data copia, totus
Inſurgit ferro, atq. aduerſos territat hoſtes.
Iam ſteterat claro Turcarum multus aceruo
Per cædes cumulus; dant hoſtes terga; Canalis
Fulmineumq. rotat telum, ſternitq. pauentes;
Inſequitur clamans; quo quo gens perfida claſse
Quo dudum trepida properaſti? Cypria num te
Illexere auidum regnorum littora? pugnam
Certus ini palmæ, palmæq. manentis honorum.
Hæc dicens remis ſaltu demiſsus ab ipſis
Deſilit in puppem Maumethis; cedit utrinq.
Omnes latus: fugit ipſe, necemq. fugamq. capesſit.
In ſequitur Venetus, fugientem apprendit, agitq.

Captiuum ratibus, religataq. brachia uinclis
Mille rapit: Venetis seruandum tradit, & audet
Prælia inire ferox, uitam & pro laude pacisci.
Barbadicus iuxta Sirocco occurrit agenti
Sanguineas sanie intermistas pectore spumas.
Nec dare terga uiri patitur furor, arma furorem
Sectantur rab idis instando fortius ausis.
Barbadicumq. uidens superantem robora saltu,
Intrantemq. rates, turbataq. castra fugantem,
Obuius it, iaculumq. manu contorquet iniqua:
Horrendum stridens uolat hasta, furitq. superbum;
Et iuueni infligit Veneto fera uulnera; is ictus
Sternitur, & uitam calido cum sanguine fundit:
Barbadicus quanquam Turcam non norat, in ensem
Consurgens galeam splendentem uerberat; illa
Pulsa caput mouit; Turcam per transtra parumper
Exanimemq. egisse ferunt, similisq. cadenti
Incubuit remis, & in æquora pronus abire
Visus: ubi at sensus rediere, animisq. Cupido
Increuit pugnæ, subitos mouet ira furores;
Et rabiem accendit. pendentem corripit ensem
Ille, graui Venetumq. inuisit comminus ictu.
Barbadicus clypeum contra proponit, & ensem
Excipit hostilem, ferroq. intentat adacto
Subtus per costas mortem; pertransit ad ima
Pectora, & infixum medio pulmone tepescit,
Luminaq. æterna damnantur perfida nocte.
Exoritur subito clamor, fuga, mortis imago
Vndiq. discurrens, pugnæq. incommoda mille;

Debellata

Debellata iugum pars classis colla sub ipsum
Mittit, sed pelago pars maior saeuit in alto:
Nam fuerat iussum diductis cornibus ipsas
Christicolum intentare rates, retroq. ciere
Defessum Martem, atq. hostilia caedere terga.
Pialius primum hoc suasit, Bragadinia tela
Impediere Ducis peragentes iussa, superbis
Dum crepitant bombis, ferro trepidosq. fatigant.
Dorius e dextro cornu ruit; impia ponto
Agmina procumbunt crebris gemit ictibus aequor,
Insultatq. undis totum, caedesq. perhorret
Sanguineis maculis distinctum. Pontica passim
Turba cadens insignit aquas, & nomina ponti
Nauibus hic longis Guorus, pariterq. Pisanus
Castra loco firmata tenent, sternuntq. ruentum
Robora Turcigenum dubiis illecta trophaeis
Ad bellum: sed uana Scythas Fortuna fefellit.
Impulit hos primum dimissis Aeolus Euris
In pugnam, ne causa foret uitare periclum;
Destituitq. mari classes, & uela secundis
Christicolum impleuit Zephyris, furiasq. repressit
Hostiles, rabidasq. manus, & contudit arma.
Dorius hic ardet pugna; Caracossa tumultu
Exultat, latosq. humeros ostentat, & ora
Fortia, & horrendo aspectu spirantia robur.
Barbara sectatur classis, sectantur ouantes
Turcigenae auspiciis huius felicibus acti,
Cùm pauor Adriacos peruaserat usq. recessus,
Clodia uix tuta, incensa & cùm Dalmatis ora,

Illyriciq. sinus pressi, Ioniumq. infestum.
Decernunt pariter ferro, maculantq. rudentes
Sanguine fœdatos, & inertia pectora trudunt.
Sustinuit paulum collatis prælia signis
Dorius insignis clypeoq. insignis & hasta:
Illudens Martem modo se uenientibus affert,
Et modo terga fugæ uisus dare; totus enim illuc
Mars inclinarat bellum, pressiq. tumultu
Vesano pedites, uix respirare facultas
Vt foret, & pelago dimissis currere remis.
Cretæo ut Tauro Theseus donatus inique
Per Labyrinthæos insurgit fortiter orbes;
Vix iter obscurum noscit, nexusq. feramq.
Terribilem exhorret; reditus uia peruia nulla.
Aspectus talis pugnæ glomerauit in ipsam
Intentos pugnam: stringuntur robora adacta
Rostris, nec modicis onerant stridoribus auras.
Dorius ille unus fluctu spatiatur aperto
Classe modo inuadens frontem, modo terga Scytharũ
Intentat, uariatq. uices, & utrinq. timentes
Solicitat. Guorus solita licet arte Pisano
Aemulus esse uelit, tamen unum ubi puppibus altis
Emissum peditem, quem alii sequerentur, in undas
Detrusum uidit; lacrymis affatur obortis.
O socii (neq. enim hæc est propugnacula belli
Hic seruare minor ui gloria, Thracas ab ipsis
Pellere quàm ratibus) præstat iam parta tenere
Quàm dubiis unquam dubiam spem ponere rebus.
Audeat hic nemo peditum discedere, nemo

Per remos tentet ratibus se inferre; satis sit
Tutari proprias puppes, & castra tenere.
Talibus accensi dictis, tormenta ministrant
Indefessa procul: crebris sonat ictibus ilex
Fracta gemens ponto, passim rimisq. fatiscens.
Interea Caracosa furit, certamina Martis
Crescunt, horrende crepitant tormenta boatu.
Ipse tamen ualido torquens hastile lacerto
Incumbit totus bello, per transtra, forosq́.
Discussos uolitat; pecora inter inertia cinctus
Ceu Lupus, & Ceruos inter Leo feruidus ira,
Quem mox turbā canum latitantem exciuit, & atra
Commotum bili syluas dimisit in altas.
Obuius Hispanum ferro transfigit, & ultra
Progreditur toruo perterrens agmina uultu.
Dehinc Siculum contra torquentem tela furenti
Dextra sternit humi, moriens de puppe triremis
Pellitur, & salsos deturpat sanguine fluctus.
Qualis aper pulsus, saltus Erymantidos altos
Deserit, & trepidas inuadit dente Lyciscas:
Et trahitur; nec bella modum, nec copia pugnæ
Dant requiem, campis totis discurrit, & ipsos
Terret sæpe hostes, & sæpe perhorret eosdem,
Dum rabidum prensant humeris, prensumq́. tenere
Audent; dumq. ferox medios irrumpit, & auras
Præterit ingenti cursu; fallitq́, tenentes
Corripiens saltum pedibus: nemus omne remugit
Armorum sonitu, & clamoribus antra resultant.
Talis Threicius dux læuo prælia cornu

Miscebat

Miscebat, totamq́. mari producere palmam
Tentabat, subitas quando motura ruinas
Aera dedere sonum stridenti Martia ferro:
Tum latus omne cadit ratium, latus omne uirorum
Procumbit; tepidas flamma crepitante per undas
Dissiliere rates, uix sustentata profundum
Robora discussis remis pressere; Deorum
Atq. aliquis timuit; caput at Portunus ab undis
Extulit, & pugnas inspexit lumine toruo,
Cùm trabibus pontus diuulsis sorduit: imos
Nereides pauidæ maris intrauere recessus,
Et rebus timuere suis. Caracossa cadentes
Vix potuit uidisse rates, cum fumus adegit
Exitio ferrum, tenebrasq́. offudit inanes.
Vidit ubi, indoluit: cur hæc Maumethica proles
Inuicta (hem) pateris, Diuumq́. è stirpe propago?
Tot decuit Regnum partis ornasse trophæis,
Incussisse orbi terrorem; prælia quando
Indicta, atq. solum Cypriæ pressere ruinæ?
Vt pelago direpta foret classisq́. decusq́.
Hellespontiacum iuga per seruilia ductum
Ioniis premeretur aquis? traheretq́. tenebras
Splendidius stellis Phœbo & præstantius ipso?
Maior pugnæ ardor dum crescit, talia secum
Voluebat Dux dicta gemens, sed uerba per auras
Vana ferunt uenti, discerpunt flamina nusquam
Exaudita polo: neq. enim æquas Iupiter aures
Admouet his precibus, scelerata aut uota fouendo
Admittit: iustis placantur numina uotis.

Interea

Interea iuuenis rostro Falerius urget
Ardentem pugna, saniemq. per ora uomentem;
Ecce, inquit, pœnas qui mox de sanguine sumam
Barbarico Venetus, siqua est fiducia capto.
Ingere tela manu, propiusq. accede, nec inter
Contectus naues Martem, quem sæpe peristi,
Falle; licet sumptis concurrere comminus armis,
Et palmæ tentare uiam; mediumq. per hostem
Irruere, & latum discurrere classibus æquor.
Dixerat: ille fremens contorquet uiribus hastam
Innixus totis; sonat illa, trahitq. ruinas
Qua fugit, & rapidum stridens desæuit in ictum,
Per clypeumq. ruit, cedunt septemplicis orbes
Ingentes clypei, thoraca & transit ahenum;
Et progressa foret, ni tum Venus aurea cœlo
Claustra irrumpentem uentris tenuisset, & alto
Corde gemens Venetum cædes, Faleria præsens
Pectora seruasset bello, furiisq. ueneni.
Sanguinis effluxit paulum, tepidoq. cruore
Effuso rubuit lorica, ocreæq. nitentes.
Nec mora consurgit proles Faleria, telo
Obstantemq. petit; galeam cadit ensis in ipsam,
Et furit in cerebrum; desectæ uertice cristæ,
Cornua rubra uiri cecidere, ardentius intrat
In caput, & capitis retegit penetralia ferrum;
Procumbuntq. uiri uires, gemit ipse, caditq.
Robur adhuc spirans; pedibusq. erectus inhæsit
Ter, cecidit toties; pallescunt ora, manusq.
nterim, & inuisam ante, cupit per uulnera mortem

Solari, uitamq. suo pro Rege pacisci
Lætatur; qualis depressa Vrsa ictibus ardet
Dentibus infrendens, & quamuis uulnere sæuo
Exanguis iaceat, non iuxta accedere quisquam
Audet, inextinctos depascit morte dolores
Illa, oculos uoluens spirantia, & ora furores.
Sic Dux Threicius sensim moribundus apertæ
Ageæ incubuit, quo non præstantior alter
Bella ciere manu, pugnamq. capessere ferro;
Seu libuit rapto felicem ducere uitam,
Seu pedite in Martem pelago prorumpere uisum:
Quo auctore in pugnam se effudit Pontica uirtus
Classe sequuta uirum, & dictis animata; timebat
Dum plebs hostiles uires; hostiliaq. arma
Quiq. per Adriacos discurrens remige portus
Terrorem incussit venetis, penetrauit & oras
Illyriæ, & rapido uastauit milite campos:
Tum fronte è media concurrunt Parthaus, Halis,
Pialiusq. rates omnes dehinc ponè secuntur.
Austriacus Dux arma mouens quatit Aegida, signum
Attollit Veneris de puppe Venerius ardet
Excita Ausonia Latium, præfertq. columna
Quæ fore despondit Mars bello fata peracto.
Pisaurus, Dodiusq. ferox à fronte tuentur
Tum Scythicas acies, Scythicæ tum robora pubis.
Aethera diffindunt rapidis explesa metallis
Tormenta; insurgunt diuulsis brachia dextris,
Et capita, horrendo lacerataq. corpora ferro:
Namq. ubi concrepuere nihil; nisi tincta cruore

Membra

Membra mari distracta licet spectare; perhorret
Pontus, & undoso latitantes gurgite Nymphæ
Extimuere graue exitium. sensim impia cedit
Turba loco: ante alios ratibus comitatus abactis
Arripit ipse fugam Ocyalus, mediumq. per æquor
Cautus agit puppes; fugientis fumus ademit
Aspectum: pacis suasor fera bella refugit.
Vndiq. concurrunt telis, mediaq. triremes
Decertant ferro, Martemq. excire pauent nil.
Obuius Austriacus Dux Hali; Parthaus ipsam
In Veneris puppem irumpit, sumitq. Latinus
Pialium aduersum bello Dux: agmina passim
Rostrata adcurrunt; iuxta Spinolusq. Grimaldo
Coniuncto sequitur: fluctu natat uncta carina.
Pugnatur passim; quin duræ mortis imago
Ostentat uultus crescenti cæde decoros.
Thisiphone tetro circumsonat atra flagello,
Terrificisq. leues implet stridoribus auras.
Inflata hinc animos perterrent classica, terret
Ferri acies; hinc ipse pauor, sæuusq. pererrat
Armorum sonitus: pelago Furor impius alto
Dimissus sæuit; resolutaq. brachia uinclis
Effundit, teloq. furens assurgit aheno.
Ira animos immissa ciet, Rhamnusia quando
Dira fouet castris sociam, belloq. sororem.
Nec minus ante alios feruens increscit Erynnis,
Immiscetq. necem: nec non Bellona superbum
Compellatq. uiros ardens, & bella mouendo
Concitat haud leuibus stimulis; furit impia utrinq.

Pubes ducta mari, durataq. robora ponto.
Vix sua signa pedes norat, nam nubila fumo
Prælia obumbrarant, immisti atq. hostibus hostes
Bellum immane mari renouabant milite denso.
Hinc tabo infectus pontus, calidoq. cruore
Horret sæpe suos uultus; hinc gloria mentes
Ardentes animat bello, stimulosq. repente
Subdit non molles, aciesq. in bella remittit.
Pialius quanquam prærepta ex inde salutis
Extremos aditus nouit, classemq. cadentem
Non ullis reparare armis se posse, priori
Non astu obtinuisse locum, dum cornua Martem
Diuerso diuersa loco furialibus ausis
Exciuere ferum; subitas ardescit in iras,
Et ferro occurrit sumpto, nauesq. Latinas
Assiduo exagitat telo, flammisq. fatigat.
Halis ter pronam Naupactum uertit, inhæsit
Ter bello, & socios melius sibi pone sequendos
Censuit, & duro iactatos classe periclo
Eripere: ut uisum sic fors in bella remissus
Sustinuit pugnam dubio certamine Martis
Obuius Austriaco Regi, quem rubra triremis
Insignem ostentat pelago, quem dextra nitenti
Insignit ferro, galea & cui dona paterna
Corda mouent; animata ciet præcordia uirtus,
Non pressa aduersis, rebusue elata secundis.
Despiciens classem tum cælo Iupiter alto,
Robora fracta, uirosq. natantia corpora fluctu,
Sanguineq. infectas undas, solitumq. decorem

Fluctibus

Fluctibus ereptum æquoreis, qua terminat ipsos
Ionium fines, & Mauros alluit undis.
Hæc cupido Diuum Rex spectans lumine, Ma
Accersit genitum, dehinc fatur talia: nate
Dælicium patris, superumq. immensa uoluptas;
Nate decus cæli, magnarum nuncius audax
Rerum, siquando superum mandata per auras
Defers, & celeri delaberis æthere cursu.
Nunc decet alpinas rupes te inuisere, cælo
Aemulaq. Ausonio iuga: queis domus abdita saxis
Insurgit, summoq. attingit uertice cælum.
Alpibus his amplam posuit Victoria sedem,
Difficiles aditus palmæq. illexit honore
Assurgunt circum Lauri, nituntur & aulam
Frondibus ambire, & latis discurrere tectis.
(Si nescis) Poenos illac transisse, Ducemq.
Annibalem decuit, totus quando Africa uires
Italiæ in campos effudit, Roma nec ausa est
Ire ferox contra exhorrens Carthaginis arma.
Namq. domos intrasse ferunt, & numina uotis
Exorasse, leues cepisse & pectore somnos,
Et stantem uidisse Deam, quæ talibus ipsum
Affata est dictis. propera quo tendis, & alpes
Has supera: retro cautus nec respice, quid te
Sectetur; dabo enim ipsa uiam, comitabor, & ipsis
Ipsa adero cæptis. Dux cessit sede, locoq.
Deduxit peditem; subito per saxa fragore
Horrendo strepitus Pænum commouit, at ille
Lumina contorquens sinuosis orbibus Hydram

Robora torquentem cernit, similemq. ruinis
Aspectum præbentem; ut uidit, protinus ipsa
In uentos uolucri fugere simillima somno.
Portento promissa graui laus, gloria cæde
Et parienda, modis uix ipsi cognita miris.
Illinc commotis Diuam talaribus educ
Gaudentem sertis, celebri Lauriq. corona;
Quæ uolitet circum, palmasq. effundat, & ipsos
Christicolas studeat partis ornare trophæis.
Ille nihil: pennas addit, talisq. fauentes
Mobilibus Zephyros secat ipsis ocyor Euris,
Et latus Italiæ percurrit, & ardua tecta,
Tecta Deæ Pariis bis sex innixa columnis,
Atria & ampla subit, latos penetratq. recessus;
Diua ubi dispositis calathis florentia serta
Texebat uiridi Lauro intexens Amaranthos,
Lilia puniceis distinguens floribus alba,
Et tenues uiolas, floremq. nitentis Anethi;
Præscia fortassis; quæ tum Cyllenius ales
Iussa daturus erat, tantæ iam præscia pugnæ:
Quò post quàm uentum, summi mandata Tonantis
Exponit, rumpitq. moras, hortatur, & instat;
Atq. manu uirides lauros decerpit; & ipsas
Tendentes cælo palmas, quæ pondera duris
Attollunt humeris haud presso uertice stantes.
Nec minus illa libens calathos, textasq. corollas
Sumit, & exequitur; quod iussum est; æthere & alto
Ambo correpta contecti nube feruntur:
Tyrrhenasq. uident undas, Scyllamq. Charybdi

Latrantem contra, atq. immania monstra uomentem;
Ioniosq́. legunt fluctus, & Leucada ponto
Complexam, insignes ceruice & Echinadas alta.
Nec procul apparent duri certamina Martis,
Cornua fracta; Duces concisos, Pontica rostra
Diuulsa, incassum frontisq́. tenentia pugnam;
Atq. Halin pauidum, ipse licet iam Parthaus audax
Viribus in Venetos totis irrumperet, usq.
Vexaretq. Ducem, pariterq. Veneria signa.
Non tamen ille seni Veneto uigor, insita uirtus
Defuit, aut animus, uersataue corda periclis;
Arripit at telum contra, Parthoq. furenti
Corripit ense latus, quin uulnere mittitur ipso
Riuus puniceo fœdans Thoraca colore.
Nec minus ille rapit ferrum, captusq. furore
Ingenti galeam Veneti diuerberat ictu;
Transit in extremi capitis subtegmina telum
Interiora petens cerebri penetralia: dextra
Sed tenuit ualida præstò Cyllenius actum.
Feruidus usq. fremens ira, tepidoq́. cruore
Emisso Venetus, ceu serpens ictus; in auras
Comminus attollit ferrum mucrone corusco,
Transigit & fauces, & colla minantia perdit.
Ipse cadit, saniemq́. uomit cum sanguine, noctem
Lumina in æternam soluuntur & impia, quondam

Phæacumue domos obſeſſas milite, & armis;
Quanquam feſſa malo uirtus ceſſiſſe fuit tum
Viſa, tamen Melites mouiſse incendia paulo
Poſt auſa, & rapidos flammis ſatiaſse furores,
Mænia tuta licet fuerint tentata, domusq.
Nec quidquam, aſſiduo pulſataq. machina ferro.
Parthaus ipſe cadit medio iacet æquore truncus;
Qui bello Heſperiam, qui totum terruit orbem
Exanguis proprio maculauit ſanguine fluctus.
Tum Dea decurrens, imitantia tempora Cycnos
Ornauit ſerto, palmamq́. ſpopondit, & alta
Incumbens humeris dextra ſic ore locuta eſt.
O Venetum ſplendor, ſuperum genus, optime patrũ
Conſilio, ſalſis ambit quos Adria lymphis,
Adria pace nitens, belloq́. ornata triumphis;
I, ſequere, & quo fata uocant, contende, nitentem
Et patriam ſtellis, inſignia nominis infer
Stellanti cælo, quà ſtat, decurrit, & ardet
Quodq́. aſtrum, metis cæliq́. excedit, Eoos
Vel luſtrat fluctus, affixaq. ſidera uiſit.
Te foueat Cytherea ſinu, tibi pontus uterq.
Seruiat, & meritos det tellus patria honores.
Talia dicta dabat; ſed puppe Venerius ipſa
Aſſiſiens Turcam ſcandentem obtruncat, aquasq́.
Trudit in Ionias. fit pugna ardentior; hoſtes
Impete turbantur, nant fracti gurgite remi.
Pialius ſocium Veneto poſt quàm enſe cadentem
Vidit, & immiſsum ſubito per guttura ferrum,
Præcipitemq́. mari; caſum eſt miſeratus iniquum.
Nunc

Nunc, inquit, socii, dextra quæsisse salutem
Laus erit, & penitus classis penetrasse recessus,
Euasisse manu hostili, per castra petisse
Ipsa fugam, medioq. rates seruasse tumultu,
Queis superasse datum bello. non parua periclo
Qui eripuit socios superantes (sint licet huius
Relliquiæ belli sæpe inuadente tuendæ
Hoste) tamen maior superantum gloria bello.
Dicens inuadit Romanæ robora pubis;
Mauortemq. Ducem, & uela insignita columna;
Martius huic heros contra; ceu prælia quando
Cornibus exercent Tauri; mutescit utrinq.
Grex dominum obseruans, cui totus seruiat uni:
Illi inter rapido sustollunt cornua cursu,
Inuaduntq. hostem, gemit alto sylua recessu,
Et sonitu insultant montes, nemus omne remugit.
Tales horrendo trepidæ discrimina pugnæ
Aspectu subiere Duces; præstantior arcu
Pialius, melior telo hic, rapidaq. securi.
Fulmineum torquet ferrum Romanus, initq.
Pugnam sponte: ruit neruo sed missa sagitta;
Romulidæq. graui clypeum diuerberat ictu;
Inq. femur furibunda ruens pertransit in orbes
Loricæ: tamen hic premitur ui, & fortibus armis;
Viq. repressa cadit uis; sic eluditur arte

Non tamen ardentem rabiem furor ille remisit,
Quod superest ferri Dux dextra corripit ardens,
Proiicit, & capulo tenues transuerberat auras;
Ille ruit, medioq. Scytham thorace repellit:
Pectore franguntur duro munimina ferro;
Vincula loricæ soluuntur, & intima cordis
Mille trahens gemitus telum præcordia lædit,
Et corde ingentem præbet lato ore fenestram:
Talem olim Sapiens cupiit, mortalia noscens
Figmenta in cordis latitantia cortice, quo res
Non possent fingi, nec corde abscondier alto.
Tum cadit; & calamos, pharetra quos Turca tenebat,
Infregit, maculisq. arcus infecit, & arma,
Et moriens remis deiectus in æquora latas
Combibit ore undas, & fundo mittitur imo.
Amplius & uisus nusquam, fugisse diuq.
Creditus, & bello raptis cessisse carinis.
Post tamen ipsa uiri nouitq. insignia miles,
Martius atq. heros captiuis sæpe rogatis
Non dubia obscuras discussit luce tenebras.
Halis bella unus sustentat, prælia contra
Austriacus Dux ipse mouet, martemq. fatigat.
Nec minus obsistunt Mauri, iaculisq. nouare
Insignem tentant pugnam; quos Mustafar inter
Tela manu infrendens raptim contorquet iniqua.
Ecce autem ueniens contusis cornibus ipse
Barbadicus, pugnæ frontem subit ense; maniplos
Turbat & hostiles; subito cum Mustafar ictu
Contorsit telum; neruoq. emissa sagitta

Barbadi-

Barbadicum; quà frontis honos, quà lumina sede
Clara micant, transit. ferrum crudele; maligna
Atrôpos ah nimium properata ut fila resoluis.
Persephone timuit, cum iussum soluere crinem
Fatalem; Venetum gemuere palatia longe,
Adria ploranti similis stetit, extulit unda
Insolitos gemitus, fundo indoluitq. sub imo.
Ille tamen fundit per uulnera sæua cruorem,
Sanguineisq. notis fœdatas inficit undas.
Non aliter foliis crescens rubet ipsa colore
Puniceo Rosa; uel flos qui non uincula rupit,
Emisitq. caput sumens sub Sole colores,
Quos proprios natura dedit, quos terra ministrat
Per tacitos aditus, uenis & uiuidus humor.
Non secus & iacuit, quàm si contusus aratro
Narcissus foret, & toto pallesceret ore;
Quem Dryades iunxere Rosis, quem rustica turba
Intextas inter gaudet posuisse corollas.
Extat adhuc uirtus præstanti pectore; totus
Ardescens pugna, trepidantia corda futuro
Interitu solatur, auet palmamq. necemq.
Laude leuat; lacrymas penitus, gemitusq. coercens:
Pro patria occubuisse datum: quæ gloria maior?
Quod decus æquandum, maiores quiue triumphi?
Seu referas Parthos terraq. mariq. subactos,

Is, quem militiæ sudor decorauit, & ipsis
Sustinuit castris bellum: queis laudibus istum
Tollere in astra queas, meritisue ornare trophæis?
Quem non pugna furens, non mors deterruit ulla,
Qui exposuit uitam bello, capitisq. periclum
Solus adisse rates inter lætatur, & arma?
Barbadicum interea accedens Victoria serto
Ornat, & alloquitur: quoniam stat gloria per te
Parta, licet laudis partem tibi sumere, quando
Pro patria occumbis: quid si uirtute superba
Ipsa tua adueni? palmasq. in funera mitto;
Quas portasse sinu iuuit, quo tempora bello
Inuicta hac merita radiarent cincta corona:
Heu quoniam telo cecidisti, debita serta
Impono, ut palma auctorem te palma decoret.
Palma rogum flammis insignibus augeat; ipso
Insignisq. sono Laurus ponatur, & urna
Excipiat cineres: at laudi terminus usquam
Quis nam præscriptus? queis gloria finibus est nam
Contenta? Eoo qua surgit Phœbus, & undas
Qua præceps curru Occiduas despectat, & alto
Conditur Oceano, nomen se extendet, & acta
Res; norint Mauri, quid de te sentiat Indus.
Tuq. alios inter, quos laus ad sidera uexit,
Cælicolumq. domos, atq. alta palatia cæli
Inuises, pedibusq. premes stellantia claustra;
Et dabitur uidisse polos, pigrumq. Booten,
Cassiopemq. suis dum cincta sororibus ardet,
Illustratq. suo radianti sidere cælum.

Sidus

Sidus sideribus iungeris, lumen & ipsis
Luminibus, nitidasq. attolles uertice cristas.
Talia fundebat; subito cum splendor ab ortu
Emicuit, claraq. impleuit lampade cœlum,
Delapsusq. uiri crines, stratosq. per artus
Se effundens totum lustrauit lumine corpus,
Quodq. fuit mortale tulit, latumq. sub auras
Occuluit: nusquam uisus, sed creditus alto
Admissus cœlo; tantæ quo præmia haberet
Debita uirtuti cessit Victoria transtris,
Insuper & lætas dimisit in æquora palmas.
Fit strepitus, prorsusq. cadit Maumethica classis,
Odrysiæq. rates procumbunt, Pontica pubes
Pressa malo nescit quæ sint loca tuta: salutem
Pars quærunt remis, pars uelis undique, cursu &
Solicitant trepido pelagus; iuxta urget Iberus,
Laurentiq. acies, Venetumq. interrita pubes;
Captiuosq. trahunt, & debellata cathenis
Colla Ducum stringunt: crescens furor impius arma
Subiicit; et nusquam crebescit pugna, necis sed
Horrendæ ponto species, & mortis imago.
Austriacus contra Dux Halin tentat, & audet
Bella nouare manu, dextramq. accendere ferro.
Ille timens oculos ad puppem uertit, & ecce
Nulla salus; ueniam uictus, uitamq. precatur,

Austriacumq. genu subito diuerberat ictu:
Progressumq. foret, ni ocreæ, ferrumq. metallo
Insigni solidum tenuissent: totus in iras
Ille ardens ferro incumbit, ualidoq. trementem,
Horrentemq. ictum subtus, clypeoq. uolentem
Excipere obiecto telum, diuerberat ense.
Ille ruit, clypeumq. secat, galeamq. subintrat
Sanguinis emittens paulum: caput impete tanto
Perruptum, penitusq. caua patuere latebræ.
Turca magis sæuit, quin sumpta comminus harpe
Effugiesnè manus nostras? sic inquit, & altè
Insurgens collum transuerso uerberat ictu.
Ille dies uitæq. extremus morte fuisset
Austriaco decori, ni Diuum numine tuta
Lorica intrantem pressisset fortius Harpen.
Mox tamen immittit ferrum mucrone corusco,
Thoracisq. aditus tentat, quin feruidus ira
Incumbit totus, cedunt penetralia duri
Tegminis, admittuntq. ensem, furit ille per altas
Irrumpens costas, & fortia pectora transit,
Se penitusq. abdens sæuum uita exuit Halin.
Effususq. calor uenis fugit, ora, manusq.
Pallescunt, tenebræq. oculis funduntur inanes.
Destituunt uires moribundum, torpor in artus
Repit, & alta cruor quærens penetralia cordis
Insudat, rebusq. extremis usq. laborat.
Soluitur in mortem totus, uitamq. sub imas
Indignans dimittit aquas Acherontis auari.

FINIS.